


Kozga wybawiß ze dziecię zpiekla

ane

Do Pana Ko[illegible]

Kony

Studenta

[illegible]



CENTO ETHICVS.

Ex ducentis Poëtis hinc indè contextus,

PER

DAMASVM BLYENBVRGIVM, BATAVVM.

Iuuentutis maximè Institutioni accommodatus.

EDITIO ALTERA,

Auctior & castigatior, cum INDICE Rerum & Sententiarum locupletissimo.



DORDRACI,
Ex officina Abrahami Canini.
CIϽ.IϽ.C.

A Patriæ Patribus, confæderatarum Belgiæ Prouinciarum Ordinibus, Priuilegium nobis ad sexennium concessum, si quis flocci-fecerit: & hunc Centonem Ethicum sinè nostro consensu imprimere, vel impressum vendere fuerit molitus: sciat se in mulctam quinquaginta florenorum, & exemplarium, siué librorum impressorum confiscationem incursurum.



VIRIS
Ampliſſimis, clariſſimis, prudentiſſimis,

D. HVGONI MVYS AB HOLY, Prætori,
D. GVLIELMO DE IONGE, Conſuli,
D. IOHANNI BERCK I.V.D. Conſiliario,
& Syndico primario,

Ceteroquè Senatus Ordini inclyto

REIP. DORDRACENÆ,

dedicat conſecratquè.



VM plurimi, tùm præcipui ſūt (meâ quidē ſētētiâ) apud Græcos ISOCRATES, apud Latinos SENECA, qui de Moribus, & rectè viuēdi ratione diſertiſſimè ſcripſerunt. Horum ſequuti veſtigia prudentiſſimi quique omnem ætatis ſuæ curſum in hoc ſtadio cōſumpſerunt: inter quos Parentum noſtrorum memoriâ & ætate celebres aliquot extiterunt Poëtæ; quorū ſcripta dùm cupidè perlegerē, ac diuinis illorū pręceptis ſūmoperè delectarer: cogitaui mecū, præpoſterū eſſe horū iudicium, qui intēperātèr & munere ingenij, & theſauro temporis abuti, neque ad frugem bonam ſe recipere poſſe

arbitrantur, qui animum ad Poësim appulerint, contemnẽtes eorum studia, quorum scientiam assequi nequeunt. Hanc itaquè ignominiam præstantissimis viris & Heroibus illatam delere desiderans VV. CC. &. honestam industriam turpi otio præferẽs, trecentorum circiter Poëtarum (blateronibus & ineptissimis versificatoribus exceptis) libros & lucubrationes absolui: varias sententias, quæ ab irritamẽtis vitiorum, & blandimẽtis voluptatum animum abstrahunt, & ad benè viuendum instruunt, collêgi; quibus illorum, qui mentem sanam discere erubescunt, conuitia, confutarem; & Poëtas multa dicere, quæ à Philosophis (vt ait SENECA) aut dicta, aut dicenda sunt, confirmarem. Collectanea hæc cum amicis communicaui, qui conatum collaudantes, petierunt, vt in vnum volumen conferrem, & ad aures publicas perferrem, eo quòd materia (vt aiebant) esset fertilis, quæ facillimè hominum & caperet & excitaret ingenium. Sed cùm responderem, opus esse infiniti laboris, & hoc ipsum temerè ac præcipitantèr exponẽdo ignominiam perpetuam mihi cõparaturum: nihilominùs instabant, dictitantes: *Labor omnia vincit Improbus.* Macte, age! tela Inuidiæ perfringes;

perge

perge modò. & nunc argumentis ſaltē aliquot doce: *Neminem Poëtam eſſe, qui non benè viuendi Artem calleat, & viâ Virtutis Iuuentutem ducere quaſi manu queat ad auguſtum illud Honoris templum.* His alijſque petitionum & admonitionum protelis victus, aurem dedi, & (ICtorum veteri verbo) patientiam accommodaui. CENTONEM hunc itaque ex varijs Poëtarum monumentis (quorum magna pars, aut lucem videre deſijt, aut nondum in lucem prodijt) hinc indè contextum Iuuentutis inſtitutioni elaboraui. vt hinc vnā ſemel, ad quam viuant, regulam prendant, & ad hanc omnem vitam ſuam exæquent: curent quoque antè ſenectutē benè viuere vt in ſenectute benè moriantur: *non enim* (vt idem SENECA) *viuere bonum eſt, ſed benè viuere malè etenim viuunt qui ſempèr viuere inſtituunt.* Sed fortaſſis obijciet quis, ex genere Moroſophorum, quorum ferax hoc æuum, quòd alicubi eandem ſentētiam ijſdem ferè verbis repeto: alicubi rythmos, & ineptos verſus, quùm longè elegantiores, & doctiores præ manibus ſint, profero: alicubi lege carminis miſcellaneâ ſētētias qualeſcūque expono, quæ ab Oratoribus & Philoſophis longè accurratiùs tractantur: Reſpondeo cum totius lumine eruditionis. *Nunquam*

nimìs

nimis dicitur, quod nunquam satis discitur: Deindè, *Quæ Virtuti operã dat oratio, incomposita debet esse ac simplex, quippè non tam sermonis venustas, quàm sub sermone contenta veritas spectari debet:* Postremò, *Faciliùs insidũt circumscripta, & carminis modo inclusa, quàm quæ solutâ oratione repetuntur.* Hæc pro defẽsione meâ sint satis. Reliquum est; vt, CC. VV. penès quos antiquæ vrbis Dordracenæ sanctissima cura hanc meam qualemcunquè operam tanquam industriæ specimen, vobis commendem vt auctoritate vestra, obtrectatores à maledicendo, inuidi à reprehendendo, carpendoquè deterreantur: intereà dùm, DEO OPT. MAX. fauente, integrum SENTENTIARVM OPVS, publico (vti spero) profuturum sub vestrâ tutelâ & auspicio in lucẽ prodire VELITIS ET IVBEATIS. Valete amplissimi, clarissimi, prudentissimique viri. Ex Musæo meo LVG. BAT. KAL Iulijs. 1600.

Totus vester

DAMASVS BLYENBVRGIVS,

HEYMANNI FILIVS.

Quẽadmodum qui CENTONES *conscribunt, ad sentẽtias suas aliorum verba transferunt, atq; traducunt: sic nos ad nostram materiã aliorum versus accõmodantes, curauimus, quantum fieri potuit, (iuxta* ARBITRI *præscriptum)* nè Sẽtẽtiæ emineant extrà corpus rationis expressę; sed intecto vestibus colore niteant. *Existimantes, etiam si õnia à Veteteribus sunt inuenta (vt voluit* CORDVBENSIS) *hoc semper nouum futurum: Vsus & Inuentorum ab alijs scientiam, & dispositionem: quã fatemur in prima huius mei* CENTONIS ETHICI *editione anno præterito, (dum negotiorum causa absum) impressoris in curia fuisse neglectam, qui* INDICE *amisso (vt aiebat) omiserat quoq; loco conuenienti argumenta quædam, vt erant distributa, disponere: quo facto effectum vt extaret opusculum celandum potiùs, quam vulgãdum, vtpotè imperfectissimum: & de quo meritò ridẽdo,* PISONES:

Purpureus latè qui splendeat vnus & alter
Assuitur pannus.

Quamobrem ingenuo rubore perfusus ab incepto destinaueram desistere, & hoc pacto leuiori studio, ac inutili labori valedicere: Sed amicorum precibus improbis (in quorum tamen sententiam inuitus potiùs, quam volens veni.) adductus, (qui spargendam esse manum dicerent, vtpotè fieri

fieri non posse, ut non aliquãdò succedat multa tẽtanti: *obijcientes* LVCILII *illud:* Sarcinatorem esse summum, suere centonẽ optimè.) CENTONEM *meum resarcinavi: quẽ nùnc denuò à maculis & mendis plurimis, quibus scatebat, purgatum, candidæ, & studiosæ Iuventuti repræsento: partim, ut à vulgarium Poetarum lectione abducerẽ, & ad ipsos Latinitatis Romanæ fontes (Veteres illos puto, & classicos* VIRGILIVM, HORATIVM, IVVENALEM, *&c. ac recentiores* SCALIGERVM, DOVSAM, VVLCANIVM *&c) adducerẽ: partim, ut* ERASMI, GRVDY, GVELERMI *&c. Batavorum, &* BAVDY, ROGERY, PORCARIÆ *&c. Belgarum manuscripta, & nunquã antea impressa poematia, cum aliorum, tam Germanorũ, quam Italorum, & Gallorum versibus (inter quos sonoritate leonica (utor ipsissimis Autoris verbis)* MORVALENSIS *noster triumphat)* CENTONI *meo intertexendo, ab interitu vendicarem. Tuum erit Studiose lector, lucubrationes, seu mavis exercitationes hascè meas (modò id mereantur) teneræ ætati, ac novellæ civium proli commendare, & ad honestiora studia* (per quæ *(ut idẽ* CORDVBENSIS) potest ex casa vir magnus exire, & ex deformi, humiliq; corpusculo, formosus animus ac magnus) *adhortari: etenĩ tamdiù discendum est quemadmodum viuemus, quamdiù viuimus.* *VALE.*

PE-

PETRVS SCRIVERIVS
DAMASO BLYENBVRGIO.

NARRO, *quod cẽseo, amicissime* BLYENBVRGI; *placet & mihi placitũ illud maximis quibusq; viris: Isti Labori operã insumendã esse scilicet, qui Laudẽ simul & Fructum ferat. Nè tu igitur magnum operæpretium feceris, dùm* CENTONEM, *illum Hortum & Seminarium salutarium præceptorũ, quasi per saturã ex varijs lucubrationibus collectum & cõcinnatum diuulgas. Hinc enim tibi non contemnẽda Laus, Iuuentuti magnus Fructus deueniet.*

Quasi pueris, qui nare discũt, scirpea ĩducitur ratis: Plautus.

sic tu isti monitis huiusmodi præibis ad Doctrinam. isti, inquam, non otiosæ, malèq; feriatæ, sed diligentiori, & de notâ meliore: quæ simul vt viderit hos cultos apparatus, & literaria bellaria quasi in antecenâ & promulside digniorum epularum posita, inhians & intenta non comedet solùm sed vorabit, & nulla præ his alia scitamẽta quæret: Squillam, Acipenserẽ, Scarũq; Iouis cerebrum, & quidquid delitiarum olìm Gallonij Præconis mensæ illatum, contẽnet: quisquiliæ illa & nugæ sunt: hæc Ambrosia, quæ Iuuẽtutem deuiam, & aberrantẽ à lineis grato quodam odore trahit, & ducit ad regium iter Virtutis. quæ pinnatum gradum suggerit, quo peruolare in mundo ad arduum illud Honoris fastigi-

ſtigium. Numquid hic magnus Fructus: ità ſanè. Sed tibi quæ Laus hinc ſperanda? magna ſatis, me vate & auſpice; olim Iuuentus omnis melior tuis adiuta ſtudÿs te Herculem Muſageten venerabitur & canet. Macte: quid deſideras amplius: virorum magnorũ (quæ tua modeſtia eſt:) encomia nõ ambis; tamen vltrò probabunt conatum, & vtrumq́ pollicem premẽt, ſcio: quòd iuuandi vtilitatẽ gratiæ placendi præpoſueris. Ego, nè te meritâ Laude defrudẽ in cõmẽdationẽ Laboris tui ſcripſi Poematia tria, inelaborata illa quidem & incondita ſchedia: quæ ſi Selectus Iudex legat, heîc Pannum poſitum in purpurâ eſt, *clamabit: ſed malui infantiæ meæ maciẽ publicare, quam officio debito deeſſe, Vale, mi mellitiſsime. Sed heùs! quando videbimus illa recẽtiorum Poëtarum Erotopægnia? quando inſtructiſsimum illud Opus Sentẽtiarum, vber Amalthea cornu? Euge! matura, & pleniùs, ſodes, oſtẽde:* * Poëtas vitæ magiſtros eſſe: *Quippè nunc nimis parcâ & auarâ manu guſtũ tantum dediſti, & ſaliuam nobis commouiſti: dicam liberè, callidus captator es:*

Næuius.

* Quod Philo Iudæus dicit.

Lucilius

Sicuti, quùm primò ficus propola recentes
Protulit, ingenti pretio dat primitu' paucos.

ſimili modo tu hoc quaſi lenocinio ad maiora tua Opera cõquirẽda & cognoſcẽda Lectorẽ pellicis. Raptĩ, ex vrbe patriâ. IIX. Eidus Ianuar. Iulianas, Anno à Natali Chriſti Dionyſiano, 1599

Poetas

Poëmatia
PETRI SCRIVERY,

In commendationem Ethici Centonis contexti,
à
DAMASO BLYENBVRGIO.

Ad Lectorem.

SI tibi quis gemmas, aurum, argentumquè dedisset,
Lector, in his numquid nobile munus habes?
Certè: nobilior tamen hæc est pagina gemmas,
Aurum, atque argentum quæ superare potest.
Scilicèt hæc pereunt, abeuntque abeuntibus horis,
Occasu Ingenij dîa reperta carent.
Qualia multa vno Bliburgi industria libro
Eruit, ac oculos ponit inantè tuos.
Quidquid odorati Romano floris in agro
Nascitur, hic latè dædalus Hortus habet.
Non hunc Alcinoi Pomaria laudibus æquent,
Non æquent Phrygij picta Roseta Midæ,
Heîc Ver perpetuum, non Brumæ frigus adurit,
Florida quod noceat nîl Zephyrithis habet.
Heîc Ederæ serpunt, culta heîc Violaria rident:
Heîc Trichila & multa Pergula frunde placet.
Heîc immortales Hyacinthi, heîc Lilia surgunt;
Heîc folio Laurus perpete sacra viret,
Halitus heîc dulcis, nares qui ducit hiantes,
In Furiasquè homines protinùs ire facit.
Hunc intrare Bonum Factum; Feliciter, Hospes,
Te penetra, & capiti prospice serta tuo.
Inmarcescibiles pulchro ordine digere flores;
Quæ mora? non spina est heic metuenda tibi.

Non

Non heîc offendit telis paliurus acutis,
  Nulla heîc est duris aspera terra rubis.
Omnis Hiantæo nitet area sparsa liquore;
  Heîc Tauri suboles roscida mella legit.
Heîc Sophia ipsa suo profundit semina peplo;
  Heîc diuina Bonæ germina Mentis habes,
Hînc furum procùl omne genus, vigilantior Argo
  Phœbus, amor vatum, circitor esse cupit.
Nil est, quod metuas; intra, Hospes, sidere fausto:
  Heic tibi, quod dictat carmine Phœbus, habes.
Quòd Pietas, Virtus, Labor, ac Industria Famæ
  Cultores faciat scandere templa suos:
Quòd nihil argentum, quod nil sit fulgor ab auro,
  Quòd quoquè sit nummis turgida bulga nihil:
Heîc docet, & vitæ præcepta salubria tradit,
  Hunc oculo attento perlege, cautus eris.
Perlege nec tantùm, si vis modò viuere felix:
  Illius at monitus mente, manuque cape.
Nè te perstringat flos gemmæ, aut illicis auri,
  Nè placeat multo sacculus ære tibi.
Hæc sunt instabili dubiæque obnoxia Sorti,
  Quæ bona fallaci datque adimitque manu,
Parta sed assiduo viuit Doctrina labore,
  Eripere hanc cuiquam vel dare Diua nequit.
Hæc potis est homines facere & seruare beatos;
  Hæc vna inuitâ Morte superstes erit.
I nunc; in medijs aurum quære anxius Indis,
  Antipodas lucri ductus odore pete:
Diuitias venare amplas terraque marique,
  Diues post obitum, dic mihi, nunquid eris?
Non eris. heîc nudus venisti, nudus abibis:
  A tumulo surget gloria nulla tuo,
Lucripeta, excedet bruto cum corpore nomen,
  Nil de te poterit postuma Fama loqui.
Verùm illi, tacito quos lambit Gloria thyrso,
  Assidui ad libros accubuique suos,
Nobilis ætatem Famæ decurrere campum,
  Postque obitum in summo viuere honore queunt.

His

His patet ad cælum aſcenſus Virtute magiſtrâ,
Hos quoque ſponte ſuâ ſtrenuus ambit Honos.
Scîlicèt his Ædes iunctìm poſuiſſe Quirites
Fama olim fecit indubitata fidem.
Atque Honor emeritæ Virtuti præmia ſemper
Cornu adeò numquam deficiente dedit.
Ergò te dîæ largo Virtutis inunda
Flumine, facte Puer de meliore luto.
Hoc age, quodque facis feliciter effice, ramo
Sic tibi felici præmia mittet Honos.
Cuius, cum firmata virum te fecerit ætas,
Templa teres, caſto templa terenda pede.
I procul, ô, Gluto, Manduco, Luſtro, Cinæde,
Et qui mutino quæque nefanda facis:
Qui ſtabulo indormis patranti fractus ocello,
Subrectoque aruum vomere molle ſecas;
Qui magnos ſumtus, ſuſceptaque vota parentum
Calueris, & diſcis, præter arare, nihil.
Vos Fuci, pecus ignauum diſcedite, mollis
Quos habet affixos veſpere manè torus.
Voſque ô Buccones tantùm, queîs filius olim
Iapeti craſsâ pectora finxit humo.
Et vos, qui nebulas in pariete pingitis vdo,
Fingitis & caſsâ putidiora nuce,
Ite procul: vobis eſt mordax ianua. numquam
Excepit prono nomina nigra ſinu.
Panditur huîc ſoli, qui Muſæ pallet amore,
Præparat & capiti laurea ſerta ſuo.
Qui deſiderio conſtanti, animoque tenace
Propoſiti æternum quærit amatque decus.
Quique bonis inhiat doctrinæ & dulcis Honeſti,
Qui Præceptoris pendet ab ore ſui.
Qui ſomni irrigui parcus, parcuſque Lyæi;
In mala quem Comus retia nullus agit,
Quem nunquam irretit duplex Amathuntia, cuî nō
Eſt in delitijs deſidioſus Amor.
Qui conſtans forti geſtat ſub pectore robur,
Et didicit nocuum quàm ſit amare mare.

Qui

Qui vultu auerſo contemnit Laida, ſcortum
Nobile, morboſum qui fugit omne genus.
Qui plus hoc fellis ſentit quàm mellis habere;
Et quæ (dic quæſo?) gaudia Lais habet?
Blanda quidem vultu eſt, verùm hydros illigat auro;
Damnoſa eſt intùs, inſidioſa foràs.
Hanc Lernam vita; quam nactus es excole Spartam,
Poſt tua fata, Puer, ſi ſupereſſe velis.
Te libris inuolue tuis, connitere ſemper
Altiùs humanis exſeruiſſe caput.
Sit tibi frondoſi ſuperare cacumina Pindi,
Et cum Dis Phœbo præſide ferre pedem.
Scrupea non debet tibi nec via longa videri,
Aurea ſaxoſum Gloria vincit iter.
Non leuis aſcenſus, ſi quis petit ardua, multus
Erigit hunc ſudor, continuuſquè labor;
Nocturno inmoritur ſtudio vigilante lucernâ,
Et nocti gaudet compoſuiſſe diem.
Frigus & algorem patitur, cruciosquè catharros,
Suſtinet & vitæ prodigus eſſe ſuæ:
Cuî curæ à tumulo quaſi Phœnix ſurgere; quiquè
Æternæ cingi frundis honore cupit.

Ad

Ad Iuuentutem.

QVID, ô, Iuuenta Murciæ litas? quidquè
Noctu, diu otiaris, & Scythæ in morem
Vagaris? ah; sic vix potes perannare:
Pedem reduce, & noxiæ Voluptati
Renuncia; atquè Inertiam procùl pelle:
Vorsoriam cape, hincquè quære Virtutem,
Bonamquè Mentem; tequè congrege à volgo
Disperne. polsa Honoris arduum Templum.
Vis Indicem tibi Manuquè ductorem?
Habe Ethicum Poeticumquè Centonem,
Hic te rudem docebit, & viam pandet,
Quî peruenire fas in ora doctorum;
Lætósque montes peruagare Musarum.
Macte, ô, Iuuenta; sic potes perennare.

Ad Momum.

LIVIDE, quid carpis quod Blyienburgius edit
  Miscella ex varijs camina lecta locis?
Nil habet hic proprij clamas: cessa, obsecro, cessa;
  Et scriptum posthâc naso agere omne caue.
Hic faber est operis, lapides ac ligna dederunt
  Insignes Phœbo Melpomeneq; viri.
Quæ, precor, inuidiæ tibi causa, ô, pharmace? nũquid
  Indicio, vt sorex, proderis ipse tuo?
Ex se sublimis contexit aranea telam,
  Et proprium celsâ sub trabe figit opus:
Et varios verno flores apis insidet anno,
  Materiemque faui melq; aliundè legit;
Nunc sapere aude, oculisq; tuis lemam abijce; sano
  Iudicio melius dic mihi cuius opus?

AD

AD. D. DAMASVM BLYENBVRGIVM, cum auctiorem Centonem Ethicum ederet.

Felice natum sidere dixerim,
Si cui benignus doctiloquæ dedit
Fauor Mineruæ perspicaci
Ingenio superare vulgus.
Illius acri non ratione eget
Mens celsa, sed scit perbenè lancibus
Præponderatis semper vti,
Prædita consilio salubri.
Annis, BLYENBVRGE, à teneris ità
Te finxit aptè, ac Iapeto sati
Pallas Prometheos serenum
Dædala purificauit igni,
Altas vt arces scandere Delij
Tuum incitetur pectus, & arduos
Virtutis ocres exhibere
Percupidum stimuletur vltrò.
Dnctor Iuuentæ ad maxima, qnod nisi
Te feruor ingens vtile ad hoc opus,
Et Phæbus inflammasset olim,
Non tibi parta foret laborum
Condigna merces palma, & adoreæ
Perennis augmen, nec tibi gratias,
Quas iure maximas mereris,
Ingeniosa ageret Iuuentus.

MARCELLVS MARCELLI
Med. doctor.

CATALOGVS
AVCTORVM

Ex quorum Poëmatijs hic Cento contextus.

A.

Acerbus.
Adamæus.
Ædicollius
Aerſenius.
Agricius.
Alanus.
Alciatus.
Ales.
Almenenſis.
Amerbachius.
Andrelinus.
Angerianus.
Anzelonius.
Apelius.
Apherdianus.
Arcutius.
Aulæus
Augurellus.
Aurelius.
Ayala.

B.

Badius.
Balliſta.
Baſinius.
Baudius.
Bellaius
Bembus.
Beroaldus.
Biges.
Billius.
Blyenburgius.
Boba.
Bochius.
Boiſſartus.
Bollingerus.
Bologninus.
Bolſchenius.
Bonefonius.
Borbonius.
Briſmannus.
Brucherius.
Brunus.
Buchananus.
Burchius.

C.

Camerarius.
Camillus.
Campanus.
Capilupus.
Capitius.
Caſa.
Caſtilionus.
Chytræus.
Coelius.
Codrus.
Coldingenſis.
Colotius.
Crinitus.
Crucius.
Curnerus.

D.

Dactius.
Decimator.
Dedekindus.
Doletus.
Doncquerius.
Dorpius.
Duetus.

E.

Egenolphus.
Ellyngerus.
Eraſmus.
Erytroxenus.
Euangeliſta.
Eucharius.

F.

Fidlerus.
Fiënus.
Flaminius.
Floretus.
Forcatulus.
Franchinus.
Fungerus.

G.

Ganëius.
Gentilis.
Girardus.
Gloterus.
Grudius.
Guielermus.

H.

Hagius.
Halmalius.
Happardus.
Hecquetius.
Helingius.
Herdeſianus.
Heſſus.
Hortenſius.
Hortulanus.
Hoſpitalius.


I.

Iacomotus.
Inthiema.
Incerti.
Iodelius.
Iongius.
Iouius.
Iouianus.
Iunius.

L.

Læſius.
Lambinus.
Lampridius.
Langius.
Latomus.
Lanterbachius
Lemannus.
Lermæus.

A Lori-



INDEX
Partium, & Titulorum
huius Libri

PARS PRIMA.

De studio Artium liberalium.

PARS SECVNDA.

De vigilantiæ fructu, laboris commodis, atq; otij incommodis.

PARS TERTIA

De sermone & loquendi ratione.

PARS QVARTA.

De virtute & Sapientia.

De

PARS QVINTA.

De vita beata, & qua via inuenienda.

PARS SEXTA.

De moribus.

Pri-

PARS SEPTIMA.

Ad Præceptores.

CEN-

CENTONIS ETHICI,

PER

DAMASVM BLYENBVRGIVM CONTEXTI,

PARS PRIMA.

De studio Artium liberalium.

TITVLVS I.

Quales præceptores eligendi.

Aulæus,

Disce sed à doctis, quorum Sapientia nota est,
Quiq́; colunt sanctam cum Pietate fidem.

Euangelista,

Si monet ignauos, hortatur amicus inertes:
Accendit lentos, tardos docet, & fugitantes
Castigat: dociles Iuuenes, cupidosq́; sciendi
Spe complet, verbisq́; graues inflāmat ad artes:
Atq́; Iuuentutem commissam exercet honestis
Et rectis studijs, puerosq́; timore coërcet
Audaces: timidos dictis attollit amicis:

Et laudabilitèr prudens, recteq́ tuetur
Mandatas partes, Veteres dixêre Magistrum.

* * *

Si doctus fuerit, non ille errabit; habebit
Discentis notũ ingenium: tantũq́ docebit, (illa.
Quantũ animo ille sequi poterit; monstrabit &
Quæ sint discipuli naturæ accommoda; Vires
Nõ grauitate premi sinet, aut lãguescere segnes.

* * *

Doctor discipulo Pater est: non imperat ille
Vi nato; hortatur, monet, increpat, orat amãtèr;
Non est terribilis, non formidabilis, atq́
Horrificus, grauiterq́ minax; nõ verba catenas
Intentant: non dextra genas diuerberat: aures
Non irata manus vellit, longosq́ capillos:
Sed grauis, & peramans est, & venerabilis ore,
Et cauet, exemplo nati nè moribus obsit
Ipse suo; lingua est verax, moderata, pudica:
Turpia condemnat grauitèr, collaudat honesta,
Accusat vitium, virtutem ad sydera tollit:
Magnorum profert antiqua exempla virorum;
Et qualis lingua est, talem se moribus offert.
Huic Vitæ puer assuetus, non dicere quicquam
Aut facere audebit loris aut verbere dignum.

* * *

Est patri similis præceptor: diligit omnes
Quos docet, imprimis auidos, cupidosq́ sciendi,
Et quorum magno ingenio, & probitatis amico
Plurima discẽdi coniuncta est summa voluptas:
Hos

Hos laude attollit, dictis spe complet, honore
Excitat; & teneros animos virtutis amore
Inflammat, studia ad præclara & dirigit ore:
Ambitione fouet, verbis accendit honestis.
Non est ingenijs in talibus vlla timenda
Segnities, non est metuenda ignauia, non mens
Ad vitium facilis, prauos procliuis ad vsus.
Si tamen interdum à rectis deflectere cernit
Hos Doctor studijs, non castigandus acerbè
Est error; dictis non obiurganda seueris,
Atq; palam, & turba in media peccata minora,
Sed moneat; monitur videatur amore profectus
Non odio! clamq; accitum qui errarit, amicè
Corripiat; laudet vacuos errore sodales:
Vt laus ingenuam commordeat æmuli mentem,
Et virtus aliena animum laudata fatiget.

Scriuerius.

Vir Bonus, & Sapiens vt fias fortibus annis;
Præceptore opus: hunc quære, Iuuenta, tibi.
Sit pius & doctus, dextrâ meliore politus,
Qui te doctrinâ, qui pietate iuuet. (tos;
Qui te non tantum ad Musarum prouocet hor-
Verum etiã augustam monstret in astra viã.
Scire tuum nihil est, nisi recto tramite pergis;
Quæris & vnigenum qui super astra, Deum:
Hâc fini indultum est tibi viuere. Nosse supremũ
Et colere vnanimi Relligione Patrem.

Sunt

Sunt certè miseri, queis sola atque vnica cura est,
Historias veteres, verbaque prisca loqui.
Prò pudor! his sordet Virtus, & regula Morum,
His iacet & Pietas, his iacet ipse Deus.
Ah! quid Doctrina est, cui vitā impēdimus omnem,
Si nos peruertit, degeneréśque facit?

Sambucus.

Qui rudis es, doctis cupias parere Magistris,
Turpitèr impingit, qui monitore caret.
Sic nisi flexiuagas moderetur vinitor vuas,
Non subeunt vlmos quas posuêre duces.
Præceps ingenio ruit omine stulta Iuuentus,
Nec satis accepto vulnere sæpè cauet.
Cuncta potest oculus sed prouidisse regentis,
Tutiùs exemplis hincque dedisse metum.

Ayala.

Felix qui vitam (qua nìl antiquiùs vsquam)
Crediderit docto, crediderit que probo:
Infelix contrà, qui aura deceptus inani,
In rudem, inexpertum, difficilemque cadit.

Incerti.

Elige Doctorem qui te reddat meliorem.

TITV-

TITVLVS II.

Studio inſiſtendum: & ibidem, de Iure, Medicina, Poeſi, & Muſarum, ſiuè Artium æternitate.

Incipe, & efficies; ne ceptum deſere; vendit
Impenſo ſtudio maxima quæq́ʒ Deus. Studio in ſiſtendum.

Aulæus.

Diſcere quæ neſcis, Sapientia prima putetur,
Et nihil, extremus ſit tibi ſcire pudor.

* * *

Indole cum præſtes, cum ſis pulcherrimus idem,
Plus fide ingenio, labile forma bonum eſt.

Euangeliſta.

Eſt nobis Mens, & Ratio conceſſa Deorum
Munere, vt obliti terras ſcrutemur Olympum;
Miratiq́ʒ Iouis facta immortalia, rerum
Tantarum Autorē ſummo veneremur honore.
Hùc nos perducunt celeri dulciſsima paſſu

Ocia Musarum, huc artes placidæ, atq; quietæ,
Discere quas nullus labor est, sed sũma voluptas
Qua qui non valdè afficitur, non ille putandus
Est homo, sed magna humanũ sub imagine mon-
(strũ.

Pictorius.

Quò fugis? horrẽdi quid habet schola? nunquid
Mens tua librorum forsitã extimuit? (aceruos
Nunquã clarus erit miles, formidine quisquis
Cædendi, subitæ dat sua terga fugæ.
Pugna opus est si quis vult vĩcere: arare necessè
Vt multo reddat fænore semen ager. (est,
Flecte pedem, studioq; vaca: nam plura legenti
Plùs dilatatur iugitèr ingenium.

Sambucus.

Dum potes, ingenio florens concedit & ætas,
Excole quod cunctis commoda longa ferat.
Pellantur nugæ viles, & inutile rerum
Sit procul hinc studium, gloria vana subest.
In tenui labor est, quibus ocia praua supersunt:
Sequè putant vitam præter habere nihil.
Tempora sic fugiunt, minimis vt vita gerẽdis
Deficiat, fruitor dum sinit ergo bonis.

* * *

Donec erit studijs ætas, tempusq; Iuuentæ
Aptum, Thespiades semper amato Deas.
Hæ pariunt nomẽ, vitamq; extendere nostram
Non

Non sinè muneribus, tempus in omne sinunt.

Schellenbergius.

Scilicet Aonijs hæc est natura fluentis,
Inde bibens sitias vt magis, vtq́ magis:
Et quo plura vides, audis, & discis, auaro
Plura notare animo, luminibusq́ cupis.

Decimator.

Vos moneo Nati, sacris grex debite Musis
Ad iuga Pernassi Dux quibus ante fui.
Dum datur, egregios Musarum carpite flores,
Dum datur Aonij sumite fontis aquas.
Discite, præcipiti tempus fugit ocius Euro,
Aufugiunt anni more cadentis aquæ.
Non placidus somnus, non fallens tēpora lusus,
A studijs qui vos abstrahat, vllus erit.
Nil feriæ multæ, nil ocia suauia, Bacchi
Pocula nil veræ dulcia laudis habent:
Splendida Pegasides ostendunt culmina honorū,
Dulcibus ex Musis gloria vera venit.

* * *

Quiduis deficiens trahit ruinam,
Argentum perit, æra, dura ferri
Tandem massa perit, perit metallum
Quoduis, tecta domus cadunt superbæ.
Æternum remanet nihil, sed omne,
Quod magnus radiante luce Phœbus
Lustrat, conficiens terit vetustas.

Sed solum ingenij decus virescens
Æternum stabili tenore durat.
Docti viuit honos, viget, fouetur,
Albis dum vehit æstuosus vndas:
Dum stellæ remanent polo micantes.

Hortensius.

Certamen rarum est, pariter laudabile Musis,
Quod nulli inuideat, sed calcar subdat honestos
Virtutũ ad numeros, laudumq́ arrecta cupido.
Quod si quis studijs demat vesanus honestis,
Otia corrumpent sanas & inertia mentes.
Hinc nihil inuidiæ, nulla obtrectatio famæ, aut
Liuor Cerbereis non nupèr obortus ab vndis,
Sed benè desudat summo superaddere nisu
Inuentis aliorum aliquid, quod publicitùs sit
Vtile, quod laudem secùm trahat usq́ perẽnem.
Hoc primã extimulat post alpha & Beta Iuuẽtã
Vrget & ad palmam facundos Rhetoras: acreis
Crudo in Marte viros virtutũ ad præmia lauta
Suscitat: in sũma, sinè quo intepet æmula Virtus.

Borbonius.

Quid literæ sint, & quid homini conferant
Dicam: quæso animaduertite.
Iuueni sunt calcar ad virtutem literæ,
Seniq́ sunt solatium:
Misero verò, atq́ pauperi sunt refugium,
Ad-

Adduntq; honorem diuiti.

Hoſpitalius.

Quam ſemel optaſti, quæcũq; vel obtigit olìm,
Hanc cole ſempèr, ama ſẽpèr, nec deſere Spartam.

Rudingerus.

Quæ venit è natis, non eſt laus vera parentum:
Quæ venit ingenio, Gloria vera venit.

Andrelinus.

Diſcitur & quoduis minimo diſcrimen ab vſu,
Promit & humanos pica diſerta ſonos.

Mancinus.

Diſcere ſemper ama, demittas quærere quis ſit
A quo tu diſcas, ſit didiciſſe ſatìs.

Camerarius.

Ceú luſtris latitant vrſi, & ſua mẽbra relingũt:
Sic meditatur opus doctus in arte nouum.

Incerti.

Diſcere, quærere, ſæpè reuoluere ſit tibi cura:
Hæc tria ſunt via, qua Sapientia ſit valitura.

* * *

Diſce Puer dum tempus habes æuo iuuenili,
Vt quò te recrees habeas ætate virili.

Nete

Ne te non didicisse fleas ætate senili.

* * *

Disce bonos mores vt te comitentur honores.

* * *

Discat qui nescit, nam sic Sapientia crescit:
Crescit & augetur, si temporis vsus habetur:
Nam datur immẽsus longinquo tempore sensus.

* * *

Cum iam floretis, viridiq; ætate valetis,
Discite quæ canos possint releuare per annos.

* * *

Dum Iuuenes estis, dum tempus habere potestis,
Cur non proficitis nè tanquam bestia sitis.

* * *

Cordi non chartæ tradas quæ noueris arte,
Nam si charta cadit, mox tota Scientia vadit.

* * *

Cur gaudes sinè re docti nomen retinere?
Nomen abit sinè re, sinè nomine rem tibi quære.

* * *

Discere sit charum, quamuis primo sit amarum,
Nam post fit suaue, quod fuit ante graue.

* * *

Vt ver dat florem, flos fructum, fructus odorẽ,
Sic studium morem, mos sensum sensus honorẽ.

* * *

Quære, recordare, retine, lege, sæpè relecta:
Sic omnes claues tibi dat Sapientia recta,

* * *

Multa

Multa rogare, rogata tenere, retenta docere,
Hæc tria discipulum faciunt superare magistrū.

* * *

Non pudor est quæri, quæ nescis siuè doceri;
Qui scit laudatur, qui nescit vituperatur.

* * *

Plenum nequitia non vult cor inire Sophia,
Exerce studia dabitur tibi multa Sophia.

* * *

Gutta pluit, sic vnda fluit, sic flumina crescunt.
Paucula scis, si discere vis, mox multa patescūt.

* * *

Gutta cauat lapidem non vi, sed sæpè cadendo,
Sic homo fit doctus, non vi, sed sæpe studendo.

Scriuerius.

Qui colit Astræam, Iurisque Sacraria pandit; De Iure.
Quiquè Decem versat Publica scita Virûm:
Ille sedere aptus Patriæ ad sublime gubernal,
Consilio plebem rèque iuuare potest.
Indè sibi æternum Prudentis cudere nomen,
In terrisq́; potest nomen habere Dei.

Helvigius.

Qui reuerenter amant Iuris decreta seueri,
Splendida perpetuæ præmia laudis habent:
Hæc etenim durâ sceleratos compede terrent,
Tutanturquè probos integritate viros.

Hæc prohibēt fraudes, luxus, nocturnaq́ furta,
Diſperdunt ſerui ſemina ſparſa mali.
Hæc ſedant diros populo coeunte tumultus,
Deſidijs rumpi Regna nec vlla ſinunt:
Deniq́, dum nullo violantur crimine Leges;
Tranquillè vitam degere quiſq́ poteſt.

Reuſnerus.

Iuriſconſulti que laus? Teres atq́ rotundus
Vt ſolida conſtet mente, fideq́ ſibi: (tis:
Cuiq́ ſuum tribuens, det palmā & præmia rec-
Offenſus prauis: cenſor & ipſe ſui
Iuſtus propoſitiq́ tenax; a tramite recto (cul.
Quem fauor haud moueat, viſque metuſq́ pro-

Scriuerius.

Egregium Medicina bonum, valdè vtile nobis;
Immiſit terris quod bonus ille Deus:
Qui frutices, herbaſq́ ideò produxit, vt æger
Totus in integrum reſtituatur homo.
Protelum vitæ Medicina eſt: tempore primo
Hanc cole protelò, ſi cupis ipſe coli.

Ayala.

Eſt medicina alijs collata ſcientia præſtans:
Vſibus humanis aptiſsima, cuilibet æquè
Vtilis, & reliquis antiquior omnibus vna.
Quam Deus in terris ſupero demiſit ab axe
Præſi-

Præsidio, humano generi, cum sustulit ignem
Pectoribusq́; hominum inseruit multa arte Pro-
* * * *(metheus.*

Ars Medica obscuros in claram educere lucem,
Sublatosquè ab humo nobilitare valet.

Lauterbachius.

Nil homini quicquam Medica pretiosius arte,
Qua nescit fragilis vita carere, datum.
Aut pellit morbos, aut vires sufficit ægris,
Aut herbis coram monstrat adesse Deum.

Apherdianus.

Medicina laudibus haud potest
Efferrier dignis, tamen
Huius referre commoda
Musam iuuat, diuinitùs
Mortalibus quæ corporis
Data ad salutem. quis negat
Beneficio huius plurimos
Superesse, quorum corpora
Sepulta iam pridem forent.
Quot millia videres mori
Spasmo, veterno, febribus,
Hydropisi, cachexia,
Atrophia, & improba phtisi,
Apoplexia, pleuritide,
Vrente pestilentia,
Scabieque Gallica, & id genus
Aliјs atrocioribus,

Huius

Huius nisi impendentia
Virtute præsenti mala
Depellerentur. Plinius
Scriptum reliquit, mortuos
Quod Æsculapius suis
Reuocare solet ad munera
Vitæ medelis: asserit
Idem; ad rogum multos suis
Hac arte redditos, fuit
Et hoc eis miraculo.
An non magis nobis erit,
Quod cernis innumeros rapi
Ex portitoris horridi
Cymba, & redire protinùs,
Quibus spei suberat nihil?
Quid hoc poteſt diuiniùs
Fieri? simillimum Deo
Hoc iure possis dicere.

* * *

Præstantiùs nihil dedit
Rerum parens Natura, quam scientiam
Qua corporum salubritas
Seruatur; & inuētum Apollinis (vt ferunt)
Et Æsculapij illius
Prolis, Deorum cœtibus quos Ethnici
Quondam inserebant cælitùs
Delapsa ceu quædam colentes numina:
Operosiùs quod cernerent

Diui-

Diuiniusuè prorsus illa tradier
Mortalium generi nihil
Ad corporis Animique tutelam: nequis,
Si rem velis perpendere,
Negare difficillimum atque maximè
Esse arduum, cognoscere
Tam singularum partium, atque corporum
Affectiones & mala,
Accidere quæ possunt, & his mederier
Virtute quam promptissimè
Salubrium herbarum, hinc coli voluit Deus
Medicum, quod huius munere
Mortalium genus carere non potest.

Politianus.

Summus ab æthereo Genitor pertæsus Olympo
Socordes animos, longo marcentia somno
Pectora, te nostræ divina Poëtica menti
Aurigam, dominamq́; dedit. tu flectere habenis
Colla reluctantum, tu lentis addere calcar,
Tu formare rudes, tu prima extundere duro
Abstrusam cordi scintillam, prima fouere
Ausa Prometheæ cælestia semina flammæ.
Nā simul ac pulchro moderatrix vnica rerum
Suffulta eloquio dulcem Sapientia cantum
Protulit, & refugas tātum sonus attigit aures,
Concurrêre ferū vulgus numerosque modosque
Vocis, & arcanas mirati in carmine leges,

De Poësi & Musarum, siue Artium liberalium æternitate.

Densi humeris, arrecti animis, immota tenebãt
Ora cateruatim; donec didicêre, quid vsus
Discrepet à recto; qui fons, aut limes honesti,
Quisuè fide cultus, quid ius æquabile, quid mos,
Quid poscat decor & ratio, quæ commoda vitæ
Concilient inter se homines, quæ fœdera rebus,
Quantum inconsultas vltra Solertia vires
Emineat, quæ dein Pietas præstanda Parenti,
Aut Patriæ, quantum iuncti sibi sanguinis ordo
Vindicet, alternum quæ copula seruet Amorem.

Petrarcha.

Maximus Augustus domito tribus orbe Trium-
Pijerios cantus, & amœnas miscuit artes (phis
Nobilis ille animus, qui mundi frena subacti,
Quiq; Duces, populosq; manu Regesq; tenebat
Fortunæ Dominus geminæ, vitæq; necisq;
Subdidit imperium Musis, capuloq; regentes
Trãstulit ad numerũ digitos, inhiansq; notauit
Quẽ correpta locum, quẽ syllaba longa teneret.
Carmen adhuc superest quo Cæsaris atq; Poëtæ
Maiestas, studiumq; vigẽt, semperq; vigebunt.

Stroza Filius.

Ah demens, qui res, alienaq; commoda, nullo
Munere prætulerim Calliopæa tibi.
Tu facis alma tuos post secula mille renasci,
Natalem celebrant semper HOMERE, tuum.

Cuncta

Cuncta Maronæum viuet per sæcula carmen,
Naso tuum viuet, culte Tibulle tuum.
Viuet & extremo numerosus Horatius æuo,
Et tua Lucretî, fama perennis erit.
Galle tuus super ignis erit, tenerìq; Properti,
Aurea dum Veneris diriget arma Puer.
Dumq; polus vertet Pegasææ signa carinæ,
Flacce, tuæ dabitur palma secunda lyræ.
Cumq; tuo celebris superabit Corduba vate,
Oedipodioniæ conditor historiæ.
Saxa cadunt, & dura annis voluentibus æra,
Effugit has fati Musa diserta vices.

Reusnerus.

Eloquij virtus est vrbis alumna, foriq;
Pacis fida comes, semper amica togæ.
Quid restat? quantũ Philomelæ cedit hirundo,
Tantum vox Vatum, plus valet eloquio.

* * *

Quẽ Musæ, quẽ Phæbus amat, Pallasq;, Minerua:
Quem celebrãt Vatum carmina, Morte caret.

Scriuerius.

Aurea nec meritâ fraudanda est laude Poësis,
Ars hominem in cælum si trahit, illa trahit.
Hæc rapidis alis, ceu Pegasus, aëra findit,
Plebs pedibus vilem cetera pulsat humum.
Hãc cole, sed modicè, (moneo;) pellacia quædã est;

Ne prora & puppis sit, Philomuse, caue.
Ex interuallo Parnasi adscendere montem,
Et cytharæ neruos sollicitare iuuat.
Optima mens quæuis studio isti dedita, gaudet
Augustum lauri cingere fronde caput;
Atq; animum in ludũ post seria mittere: cautus
Tu sequere, & terso carmina scribe stilo;
Mnemosynésq; adeò tabulis inscribe: probabunt
(Ne dubita) hæc nostra, & postuma secla legẽt.

Lotichius.

Errat, diuitias si quis miratur inanes,
Iugera sat culti pauca tenere soli:
Post obitus, miseri cum lux breuis occidit æui,
Pondera nil auri diuitis ampla iuuant.
At si quis Musas paruo contentus amauit,
Ille vel inuitâ morte superstes erit.

Melissus.

Verè immortales fiunt, animamque perennant,
Quos & amãt Musæ, quos & amãt Charites.

Posthius.

Aurea magnorum curare negotia Regum,
Rarus honos, necnon grande laboris opus.
Aurea Pierio sed texere carmina filo,
Magnorumq; animos posse tenere Ducũ: (illud
Grandius hoc opus est, & honos quoque rarior:

Clau-

Clauditur angusto fine, breuiq́; cadit.
Hic caret interitu, totoque effulget in orbe,
Autori æternum conciliatque decus.

* * *

Nil nisi vile sapit vulgus: Cæleste Poëtæ
Sunt genus, & laudem posteritatis habent.
Cætera mortales inter bona cuncta peribunt,
Solius ingenij gloria morte caret.

Halmalius.

Omnia iam cæcis veterũ monumenta tenebris,
Factaque lethæo flumine mersa forent:
Si non Pierijs essent memorata Camænis,
Esset & Aonio numine tutus honos.
Sic qui Pergameas Pelides diruit arces,
Viuit, & Ausonijs Dardanus auctor auis.

Palenius.

Scilicet auratæ pereunt diademata gemmæ,
Gloria, quam tribuit Musa, perennis erit.

Silingerus.

Ah! errat si quis gemmas miratur & aurum,
Musa dat æternum, perpetuumque decus.
Nam si quem dulci laudant modulamine Musæ,
Ille vel inuita Morte superstes agit.
Hinc orbis domitor felicem dixit Achillem,
Mæonij dignum vatis ab ore cani.

Scilicet

Scilicet insumit titulos & busta vetustas,
Musa negat summum claudere posse diem.

Anzelonius.

Ab Ioue sub cælo quæ sunt producta perenni,
Omnia sub certo tempore lapsa cadunt.
Robora roduntur carie, rubigine ferrum:
Marmoreos vultus conterit ipsa dies:
Regna labant, procumbit honos, & gloria Regū,
Sceptraq́ sub stabili fœdere nulla manent.
Carmina non ignes, non inclementia cæli,
Non abolere potest mortis iniqua manus.

Torrentius.

Cætera cnm longa pereant consumpta senecta,
Et nunquam redeat qui fuit ante vigor,
Ingenij monumenta manēt, succreßit in hora
Gloria, & extenta posteritate viret:
Musa mori vetat, & longum diffundit in æuum
Dum sua virtuti præmia ponit ouans:
Atq́ hominum blando demulcens corda lepore,
Mulcet & æternos non minus illa Deos.

* * *

Sæpe graues blando minuuntur carmine curæ:
Et iuuat hanc duris addere rebus opem.
Nec quisquā Aonidum cultos turbatus iu hortos
Digreditur, qui non lætior indè redit.

Tacitis

Vrſinus.

Tacitis couſumitur annis
Mortalis quodcumq; manus molitur, & audet.
Namque vbi Pÿramides, atq; ardua Mauſolæi
Saxa? iacent Phrygiæ Neptunia mœnia Troiæ:
Atq; quotā laceræ partem eſt nunc cernere Ro-
Omnia corrūpunt etenim. tātūmodò vatū (mæ:
Durat opus, ſerāque ignorant carmina mortē.

Micyllus.

Diuitiæ pereunt, pereunt ingentia tecta
Et pereunt aurum, purpura veſtis, ebur.
Adde quod & multo ſunt hæc ſeruanda labore,
Plenaq; curarum, plenaque triſtitiæ.
Sola inmortalis Muſarum gloria viuit,
Nulla illam vires, nulla ſenecta domat.

Sambucus.

Tarda venit Muſis nunquam, ſit qualibet ætas,
Tempora ſunt ſtudÿs nulla negata tuis.
Ingenium quamuis habile & natura negarit,
Corrigitur damnum triſte labore tamen.
Ne querulis ergò tardum te confice verbis,
Aggredere audacter, qualiacumq; dabis.
Eſt melius feciſſe aliquid, quam viuere ſegnē:
Pallas ad ingenium quodlibet apta venit.

Craſſe

Decimator.

Crasse tui iactes spaciosi iugera campi,
Suspice diuitias, Crœse superbe, tuas:
Musa dat vna decus solidum, post funera ditis
Fama iacet, solidum Musa dat vna decus.

* * *

Viuus erit vitam quamuis exhalet in auras,
Cui facilis numeros dictat Apollo suos.
Viuet Meonides, celebri Maro carmine viuet,
Dū Padus exonerans in mare voluet aquas.
Qui petis æternæ præconia splendida famæ,
Apta scias metricis iungere verba modis.
Carmine viuus eris: nihil est cumulasse caducas
Diuitias, nihil est: carmine viuus eris.

* * *

Diuitiæ pereunt, perit omnis gloria mundi,
Inclÿta Musarum gloria sola manet.

Blyenburgius.

Depereunt silices, & dens patientis aratri
Siquè sit his quicquam firmiùs omne perit:
At si quem dulci retulerunt carmine Musæ,
Viuit, & inuitos effugit ille rogos.

TITV-



TITVLVS. III.

Artium, Doctrinarum, & Lectionis commendatio.

Erasmus.

Ars ipsa inopiæ portus est mortalibus. Artes.

Alciatus.

Aduersus vim, Fortunæ est Ars facta: sed artis
Cum fortuna mala est sæpè requirit opem.
Disce bonas artes igitur studiosa Iuuentus,
Quæ certæ secum commoda sortis habent.

Sambucus.

Dum fauet hæc ætas, doctas coluisse per artes
Ingenium prodest, nomenque tulisse per æuum.
Sperne voluptates siquidem caligine mentem
Turpitèr occæcant, virtutem dilige semper;
Sic datur insignis Lauri de fronde corona.

Ingenua

Sconæus.

Ingenua nihil eſt vſquam præſtantius arte,
Dulcia quæ mæſtæ præbens ſolatia menti,
Pauperiem duroſq́ fugat ſecura labores,
Deſpicienſq́ ſolum fertur ſublimis ad aſtra.

* * *

Nunquam Nobilitas vel formæ gratia prodeſt,
Ingenuis ſi mens artibus ægra vacet.

Fienus.

Tempora quæ tarda ſineres torpedine labi,
Luſibus ignauis perdere quæq́ ſoles:
Hæc ad diſcendas impende fideliter artes,
Et tere Pieriјs otia blanda libris.
Quiſquis enim docta diuinæ Palladis arte
Excoluit mentem iudiciumq́ ſuum:
Quiſquis & Aoniјs ſua labra rigauit in vndis,
Fonte in Pegaſeo proluit atq́ caput,
Cōmoda multa ferit, nullum peritura per æuum,
Semper erit generis gloria magna ſui.
Nam labuntur opes celeri quaſi flumine pulſæ,
Pauper & eſt ſubitò qui modo diues erat.
Doctarum monumēta manēt per ſæcula cuncta,
Nulla hæc è medio ferre ruina poteſt.

Scriverius.

Omnibus æqualis Mors eſt: diſcrimine nullo
Omne,

Omne, cuï indultum est viuere, falce metit.
Siue sit incinctus frontem diademate Crœsus,
Siue sit è populo congrege Codrus, obit: (unt:
Seu Iuuenes seu sint Silicernia, lumina linqu-
Fatorum tabulas fallere nemo potest. (brâ
Morte obitâ tamē hic superat, qui viuit in vm-
Musarum; & Templum nobile Honoris adit;
Nec sinit ingenium scabrâ rubigine tangi,
Communiq; edit diâ reperta Bono.
At fungus moritur, sequiturq; Obliuio vappã,
Cuî nebulas semper pingere cura fuit.
Et meritò. fruges tantum consumere nati,
Quur non Lethæis præcipitentur aquis?

* * *

Non ea nobilitas quæ ducit ab arbore ramum,
Aut quæ fumosis turget imaginibus:
Qui mores discit, sacrasq; fideliter artes,
Doctrinasq; suo percipit ingenio,
Nobilis is verè est, qui nec sua stēmata iactat,
Nec recitat retrò fortia facta Patrum:
Sed tantum vadit diæ virtutis ad arcem,
Vt Phœnix fiat funeris ipse sui.

Euangelista.

Non est imperio, non ostro dignus, honestas
Artes, qui Princeps non cupit, atque fouet.

* * *

Arte

Arte etiam inuentæ leges, & Ciuica Iura,
Arte vrbes constant claræ, sanctiq; Senatus:
Arte regunt Reges populos, exercitus arte
Ducitur; atq; etiam præstans Dux imperat arte.
Ars & corporibus fessis divina ministrat
Adiumenta, quibus reparant languentia vires.
Fertilis & terræ cultus non abnuit artem,
Cum dura & sterilis tellus mansuescit arando,
Et secreta prius crescunt vineta sub vlmis.
Hæc igitur, quæ nos, inter versantur vbiq;,
Tractat, & illa etiam contemplans audet adire,
Quæ procùl à nobis tanto sunt edita tractu,
Quin benè si reputes, arti penè omnia certæ
Atribuit genus humanum: nec dicere quicquā,
Aut facere illius recta sine lege requirit.

Stroza Filius.

Cōmoda nulla queunt, nec honor pervertere mores,
Vt simul hos Artes instituêre bonæ.

Reusnerus.

Naturam domat Ars magistra. Cernis,
Picto quod iuga delicata collo
Pardus sustinet: improbæq; Tigres
Indulgent patientiam flagello,
Securiquè timent manum magistri.
Sic vrsæ, Leo sic domatur asper:
Quem traxisse manu sua virili,

Primus dicitur HANNO Pœnus olim.
Sic ergó cicurantur arte docta
Tigris, Pardalis, vrſus hic, leoq́;?
Et non arte poteſt homo magiſtra
Humanus ſit vt, effici, bonuſq́;?

* * *

Serta comas, vnguen nares, aqua frigida palmas
Lux oculos, aures vox iuuat, eſca gulā: (& lux
Quid tū! ſerta cadūt, vnguen moritur, breuis
Occidit, vnda fugit, vox abit, eſca perit:
Paruo cuncta iacent euanida tempore: ſola
Ars remanet, memori condita mente ſemel.
Scilicet hæc hominis vitam non deſerit vnquā:
Sponte ſua nos ars, ingeniumq́; iuuat. (quā,
Pulchrior haud flos vllus, odor fragrantior vſ-
Mollior haud tactus, viſus amabilior.
Suauior harmione, cibus haud eſt dulcior arte,
Viuitur hac ſolum, cætera mortis erunt.

Codrus.

Pone alias curas operamq́; impende Mineruæ.

Hoſpitalius.

Certè vt difficilè eſt duris aſſueſcere rebus, (uis
Sic quoq́; difficilè eſt aſſueta relinquere, quam-
Triſtia principio, quamuis ſint dura ferendo:
Emollit quæ longa dies, & mitigat vſus.

Decimator.

Nil sunt diuitiæ, nil gloria subdola mundi,
Delirat nummi quem tenet ægra fames.
Namq́; statim diues cū fata nouissima claudit,
Eius cum membris fama sepulta cubat.
Quid verò vita breuius? quid certius atra
Morte, quis hanc solers arte fugare potest? (ca,
Vita quid est hominis? nihil est nisi bulla cadu-
Quæ modò conspicitur, mox fugit atq; perit.
Mobilis ah! vapor est, & diræ mortis imago,
Præterit & subitò more fluentis aquæ.
Viuimus & longæ sperantes stamina vitæ
Irrumpens celeri mors rapit atra gradu.
Sic omnes fugimus, sic splendida gloria mundi
Transit, ceù linguæ garrula verba volánt.
Ars verò remanet, viuit post funera virtus
Ingenij, extructos effugit illa rogos.

* * *

Iactitet egregios generosi sanguinis ortus,
Vel quicquid tumidus nobile mundus habet.
Omnia quæ iactans crepitat velut optima mun-
Insipidus, longum nescia stare, cadunt. (dus
Diuitiæ pereunt facili ratione liquescunt,
Nix veluti radijs Phœbe soluta tuis.
Nonnè cadunt alti splendentia culmina tecti
Structa vel immoto marmore nonnè cadunt?
Nil valet hic Mundus, culti nil iugera campi,
Pondera nil auri diuitis ampla valent.

Diues

Diues vbi recubans sua fata nouissima clausit
Cum membris penitùs fama sepulta iacet.
Si quis at ingenuo veneretur pectore Musas,
Ille vel inuita morte suprestes erit.
Viuet dum rutilum vehet ardua sydera cælum,
Dum dabit omnigeno germina terra sinu.
Viuet, dum tumido voluetur in æquore fluctus,
Viuet dum gelidas Albis habebit aquas.

Incertus.

Artẽ exẽpla docent, Ars est obducta tenebris,
Si bonus, artifices qui facit, usus abest.

Happardus.

Quid iuuat Assyria, vestes perfundere myrrha
Induere & liquido pallia tincta croco?
Aut quid in obscuras conuiuia ducere noctes,
Inq; diem posito peruigilare mero?
Omnia crede mihi, veniens hæc corripit ætas,
Nec possunt vllis ista manere diu.
Cernis, vt intereant generosi pocula Bacchi,
Diuitiæq; vagi fluminis instar eant.
Ast artes, virtusq; manent studiumq; perenne:
Sic tua post cineres fama superstes erit.
Ergò quisquis amas factis extollere nomen,
Hinc elementa tuæ maxima laudis habe.

Blyenburgius.

Semper ab ingenuis fraudes procul artibus ab- (sunt,

Et mala cum studijs non benè vita facit.

Incerti.

Ars manet, ars durat, Fortuna recedere curat.

* * *

Artis Thesaurū plus affectes super aurum, (uis,
Hic grauis, ille leuis, perit hic, manet is sinè na-
Sparsus hic haud crescit, dispersus at ille vires-
(cit

* * *

Artes per partes, non partes disce per artes,
Qui nescit partes in vanum tendit ad artes:
Quicquid agunt artes, ego sēper prædico partes.

Pierius.

Doctrinæ. *Doctrina, & virtus, & clarum mentis, acumē*
Iuteriora hominis sunt ornamenta: caducam
Hæc superāt (fragili latitat quæ corpore) formā,
Quin etiam vestes, argenti pondus & auri.
Quarè formosi cupimus quicunq; videri,
Omni ornamento procùl exteriore remoto
Doctrinâ simul ac claris virtutibus intùs,
Imò acri nos exornemus acumine mentis.

Palingenius.

(Doctrina) *decorat mites, oditq; superbos,*
Ipsa voluptatis refugit somniq; clientes,
Tecta Dei scandit, naturæ arcana recludit,
Quâ sinè nemo potest perfectus dicier: hæc nos
Dissi-

Dissimiles pecudum reddit, similesq́; Deorum.

Agricius.

Est doctrina viris splēdens fida anchora doctis,
Hæc superat Phrygÿ fulua talenta Mydæ.
Hanc non nymbosis tempestas nubibus atra
Carpet, non tumidis rupta Phalesus aquis.
Huic cedit fuluis radians Pactolus arenis
Diuitis auricolor cedit arena Tagi.

Posthius.

Quē Doctrina, fides, meritū, sapientia, virtus
Nobilitant, verè nobilis ille mihi est.

* * *

Doctrina omnibus est honori: agrestes
Quoquè huius rationem habere cernas.

Hessus.

Non moritur quicunq; sui monumenta reliquit
Ingenÿ, & laudem posteritatis habet.

* * *

Scilicet vt speculum reddit simulacra renidens,
Sic animi faciem litera testis habet.

Chytræus.

Qui disciplinæ strennuus
Legum executor & sagax,
Benè consuluit domi suis

Forisque subditis, simul
Scolasticis & ciuibus;
Nec consuluisse his desinit;
Is pro virili præstitit
Quantum potuit, quin nec suo
Carebit olim præmio.

Scopperus.

Para tibi scientiam,
Ipsamq́ pro pecunijs
Terræq́ donis omnibus
Ama, teneto, percipe.
Virtutis & vestigia,
Malum relinquens, elige:
Vitæq́ simplicissimæ
Sectare sanctimoniam.

Augurellus.

Quæ sciri poterunt, ea primum sola putabis
Cognoscenda tibi: dehinc ordine cætera disces.
Imprimis etenim rerum cognoscere causas
Ne dubita: nam sæpè ferunt quærentibus illa
Sese vltrò faciles, si quem via recta reducat
Continuis ad se gradibus, nec sistere detur
Ante illi, quam se thalamo concludere possit
Quo se Maiestas Veri veneranda receptat.

Euangelista.

Non qui verba tenet, præceptaq́ singula ineptus
Edi-

Edidicit, ſed qui memori res pectore geſtat,
Impreſſaſq; animo normas complectitur omnes
Verborum, eloquij partes, & membra peritè
Inſculpſit menti, vires cognouit & artis.

* * *

Pierides natas magni Iouis, atq; Mineruam
Diligite ô Pueri: vobis hic torreat ignis
Pectora; combuſtos hæc flamma incēdat amoris
Præſtantes animos, ſtudijs nutrita benignis:
Namq; ſuos tantum redamat Sapientia amātes,
Atq; procos dilecta ſuo dignatur amore.
Attentas aures docili præbete magiſtro,
Scriptaq; priſcorū, & monumēta æterna virorū
Nocturna verſate manu, verſate diurna.

Decimator.

Diſce puer, volucri tempus fugit ociùs Euro;
Diſce, ſubit tacito laſſa Senecta pedē.

* * *

O quantū decus eſt homini, quā ſplēdida Virtus
Docta Meduſæis labra rigaſſe vadis.
Qui volet extollat congeſtos æris aceruos,
Qui volet, exculti iugera vaſta ſoli.
Quò tibi diuitias? cum fata nouiſſima claudis,
Laus tua commoriens, Craſſe ſuperbe, iacet.
Cernis, ad interitū quamuis validiſſima tēdūt,
Omnia quæ Mundi machina cunq; tenet.

Depe-

Deperit argentum, ſpecioſum deperit aurum,
Depereunt celſæ tecta ſuperba domus.
Nil manet æternum, terit omnia cana vetuſtas.
Quæ venit ingenio Gloria parta, manet.
Viuit honos docti, cælo dum ſydera lucent,
Spumeus æquoreas dum vehit Albis aquas.
Machina dum cæli, terræ dum Machina durat,
Pegaſidum, docti munere, viuet honos.

Blyenburgius.

Inclyta doctrinæ durabit gloria, donec
Mundus erit, cæli ſydera donec erunt.

VVagnerus.

Eſt meritò verbis cæli ſuper aſtra vehendus,
Eximijq́; viri nomina Iure tenet.
Quiſquis mēte valens, doctrinâ extollit & arte
Perpetuiſq́; tenet pectora culta bonis.
Flos perit ætatis, nec multos durat in annos
Forma, ſed occidui graminis inſtar abit.
At quem doctrinæ decorant, dum ſydera cælo
Vertuntur, viuit dum Mare voluit aquas.

Mancinellus.

Eſt ornamentum rebus Doctrina ſecundis,
Rebus in aduerſis Doctrina eſt portus & aura.

Mens

Hecquetius. (ro.

Mens benè docta gradu digna est ac nomine cla-

Incerti.

Discere nè cesses, quamuis ditissimus esses,
Nam per Doctrinam poteris vitare ruinam.

* * *

Expers Doctrinæ contemptus eris sine fine,
Dedecoris fies plenus, & honoris egenus.
At probe si pectus cultum, sapiens quoq; multum
Reddere conaris, studijs & subijciaris,
Semper honoratus fies, verèque beatus,
Hoc ornamentum portabis ad ora parentum.
Huc si transibis, spe multò longius ibis.

* * *

Mens sine Doctrina, manet in te certa ruina.
Instrue tu mentem Filî rationis egentem.

* * *

Donabit scire miseris, cum Regibus ire.

* * *

Si Puer hoc sciret, quantum Doctrina valeret
Rarò dormiret, nocteque, dieque studeret.

* * *

Istam Doctrinam Lector dicas asininam
Qua sic erratur vt rectum corripiatur.

* * *

Quid sine Doctrina vita est? nisi fæda ruina.

* * *

Si mortalis erit Sapiens qui viuere quærit,

Optima perdiſcat vitijs ne vita fatiſcat.

Palingenius.

Lectio nimirum eſca animi eſt, quæ ſi bona, pro- (deſt:
Si mala ſit non parua ſolet dare damna legenti,
Non ſecus atq; malus cibus eſt damnoſus edenti.

Hoſpitalius.

Aliena monent exempla, legendo
Quæ quiſq; in patria viuens, quæ geſſerit extrà
Quoſq; pares laudum meritis accepit honores.

Euangeliſta.

Nō quæ commiſſa eſt chartis, doctrina iuuabit,
Sed quæ fixa animo manet alta mente repoſta.

Sambucus.

Non doceo ſemper, non eſt cur ſæpè reuiſas,
Lectorum memorem pagina noſtra facit.
Poſſidet ingentē numerum qui vendit auarus,
Doctior at nunquam bibliopola fuit.
Perpetuò ſi nos verſes, relegaſq; ſeuerus,
Si non vtaris contineaſuè memor:
Nunquam proficies perijt labor, atq; lucerna,
Officij hic noſtri vt te moneamus, erat.

Reuſnerus.

Muſarum doctos qui verſat ſæpè libellos,

In quibus ars, virtus, ingeniumq́ latent.
Fit sapiens, doctus, diues, bonus, atq́ beatus:
Fit clarus fama, dignus honore senex.
Mercurius tot opes donat venientibus vltrò:
Haud quenquam frustrà passus abire foràs:
O miserum! quem non autores cura legendi
Afficit, & qui non hæc bona spontè rapit.

Hecquetius.

Sic lege vt euadas melior, lectura sit omnis
Vtilis, & nullum sinè fruge reuolue libellum.

* * *

Vt tua te probitas ad summos ducat honores
Litterulis studeas, ingeniose puer.

Eucharius.

Est nullus sinè fruge liber, sinè floribus hortus.

Brucherius.

Qui cupis in claris clarus euadere Musis,
Incultis spretis non nisi culta legas. (hortis,
Hoc tibi monstrat apis, quæ dum mel quærit in
Marcida præteriens gramina, odora legit.

Politianus.

Musa quies hominũ, Diuûmq́ æterna voluptas.

Boisartus.

Ignorare iuuat quod conducibile non est.

Aurelius.

Queis cura est Physicas longè superantia leges
Scrutari, atq; ipsum scandere mente polum:
Summum animæ nouisse bonum, summãque ruinã,
Et loca tormentis, lætitiæque data.
His opus est clara diuini lampade verbi,
His opus est radÿs Spiritus alme tuis:
Queis Ducibus priuatus humi cælestia, Lucem
In tenebris frustrà querere tentat homo.

Incerti.

Plus satis ingenio fidit quisquis sine libro,
Discere vult, solo singula Marte suo.

* * *

Qui nihil ingenio committit & omnia libro,
Continet amissis nil miser ille libris.

* * *

Haurit aquã cribro, qui discere vult sine libro.

* * *

Lectio lecta semel, decies repetita placebit,
Sin decies repetas, decies repetita patebit.

TITV-

TITVLVS IV.

AD eos qui ſtudiorum cauſa exteras regiones adeunt.

Porſius.

SCilicet haud vnâ capitur Sapientia ſede:
Qui ſapit hanc varias inueſtigare per oras,
Per populos, per & aduerſos caſusq́; viceſquè
Diſcat, & hinc dubiũ mundi perpẽdere curſum.
Hoc demum virtutis opus: neq́; numen abeſſe
His ego crediderim quos talis ſuſcitat ardor.

Poſthius.

Scilicet eſt aliquid peregrinas viſere gentes,
Atq́; animum egregias ineunte ætate per artes
Exornaſſe, quibus feritas, inamabile mõſtrum,
Pellitur, & placido miteſcunt pectora cultu.

Burchius.

Vt bona conquirat peregrinos queritat orbes

Mercator, currens per freta vasta maris,
Inuisasq́ petit sola per non cognita terras,
Sollicitus, fluxæ nè minuantur opes.
Annè decentiùs est, Musis sacrata Iuuentus
Quærat ab externis vt documenta scholis?
Quæ ditent dotentq́ animum non interituris
Fortuitâ quauis conditione bonis.

Scriverius.

Vt varios hominum mores notet, oppida discat;
Et vafrâ redeat cognitione domum:
Nobilior quisquis cælos imitatur & astra,
Et gaudet motu mens nisi dîa suo:
Hinc viset terras alio sub Sole calentes,
Quà via facta rati, quà via facta rotæ.
Ignauum genus, & fictum peiore metallo,
Cui volupè in matrum consenuisse sinu.
Ah quæ torpedo! à patriæ nidore culinæ
Latiùs vngue isti cedere noxa foret.

Schellenbergius.

Sunt quos mollicies, & iners ignauia cordis,
Non sinit à patria tendere sede procul.
Quos non Pauperies non coniux detinet vlla,
Paruula nec soboles, nullaq́ cura domi.
Cum tardo Puer infirmus sene, cumq́ tenella
Assideat Mater sedula prole foco:
At peregrinari Iuuenum est, & cura virorum,
Turpe

Turpè sui nunquam linquere tecta patris.
Nulla vir ignauus præter sua mænia nouit,
Vt tantum testam cochlea tarda suam.
Quis risu abstineat, qui simplicis audiat vllum
Ingenij, matris sic habitare sinu,
Vt non in fines vicinos exeat vnquam,
Nedum alia positos sub regione poli?
Vix è conspectu quem si via parua suorum,
Haud oculis defert in loca visa suis,
Mundum incredibilis spatij miratur & hæret,
Mox repetit timidus limina nota viæ:
Ille sui decoris, nimis & securus honorum,
Tutius, & mauult suauius esse domi.

Meyerus.

Multa audisse, putes auro præcellere multo:
Interit æs, animi commoda sola manent.

Raymarus.

Turpè puto Iuueni si semper inhæret ijsdem
Terrarum spatijs (vt lapis) atq; locis.
At varios hominum mores qui vidit & vrbes,
Moribus ornatis in patriam ille venit.

Incerti.

De studio, Socie, redeuntem videro cum te
Eccè quid edisti, non quæram, quiduè bibisti,
Aut quid fecisti, sed quæram, quid didicisti?

In

In studio tria damna luo, si non benè disco,
Nummos consumo, modicum scio, tēpora perdo.



TITVLVS V.

In Indoctos.

Evangelista.

O cæcas Hominum mentes, ô pectora stulta.
Præfertur manus ingenio, gladiusq́; cruentus,
Quo multi cecidêre Duces, puerique, senesq́;,
Qui vastauit agros, qui regna euertit, & vrbes
Excidit, solio Reges spoliauit auito,
Qui non virginibus sacris, templisq́; pepercit,
Non aris Diuum, qui luctu cuncta repleuit,
Lamentis gemituque, & fœmineo vlulatu,
Munere diuino, & cæli donatur honore. (pum,
At vitæ innocuum genus, & quo scandere Olym
Et tolli super astra licet, secreta Iouisque
Cernere, quo æqualis nostra est natura Deorum,
Contemptum iacet, & nullo dignatur honore,
Sordibus

Sordibus immersum, tenebrisq́; vmbrisq́; sepul
** * * (tum.*
Ignari multi, quorum dementia tanta est,
Vt credant nihil esse aliud rectumq́; bonumq́;
Quã quod visum ipsis fuerit, fueritq́; probatũ:
Et certum, firmumq́; putant, formamq́; modũq́;
Discendi, quo ipsi pueri didicere; magistri
Omnia scisse sui, nos ignorare videmur:
Non aliam laudant rationem, artemq́; docendi,
Quam qua sunt homines vsi rudioribus annis.

Crucius.

Dulcisono semper malè stridulus anser olori
Obstrepit, Aonia turba profana choro.

VVagnerus.

Qui non ingenuas pectus decorare per artes,
Aut seriem rerum noscere dulce putat: (dũ,
Quem non quid deceat, contrà quid turpè putã-
Quæ sit honestatis regula nosse iuuat:
Ferreus ac verè ferus est hic; & aspera proles,
Quam manus effinxit Deucalionis erit.

Hospitalius.

Agresti ingenio nihil importunius vsquam est.

Palingenius.

Irridet sacras petulans inscitia leges.

* * *

Quilibet haud scit (los.
Quod bipedes aurũ, quod purpura vestit asel-

Erasmus.

Omnia qui per se sapiat longè optimus ille est,
Multò antè expendens quænã sint optima factu.
Is tamen & frugi est, qui pâret recta monenti.
At qui nec per se sapiat, neq́; mente reponat
Ex alijs audita, vir vndiq́; inutilis hic est.

Doletus.

Feces hominum, venti, nebulæ, atq́; quisquiliæ,
Algæq́;, flocciq́;, & maleolentia stercora,
Inania pondera terræ, onagri, belluæ,
Vmbræ vacuæ sensu, cucurbitæ, graui
Somno papauera plena, mortis imagines:
Quid literatorum labores iudicijs
Censetis absurdis? decet id vos scilicet
Molles voluptatis columbellos: decet id
Vmbras vacuas sensu, cucurbitas, graui
Somno papauera plena, mortis imagines?
Quin vos voluptati validis incumbite
Remis, cutem, ventrem gulam, penem potiùs
Curate, (rem vobis propriam) nec literas,
Nec literatorum labores tangite.

Ayala.

Est suspecta hodiè ars: Laudatur inertia passìm
Quid facias? virtus est, mala ferre benè.

Sis

Incertus.

Sis licet ingenuus clariſq́; parentibus ortus,
Eſſe tamen vel ſic Beſtia magna potes:
Adde a[illegible] patris, claros tibi ſume propinquos,
Eſſe tamen vel ſis Beſtia magna potes:
Sint tibi diuitiæ, ſit larga & munda ſupellex,
Eſſe tamen vel ſic Beſtia magna potes:
Deniq́; quicquid eris, niſi ſit prudentia tecum,
Magna quidem dico Beſtia ſemper eris.

Hortenſius.

Ad ſummum, ſapiens præſtantem hunc indicat, (æqua
Mēte virum, per ſe, & qui citrà ritè magiſtrum
Perſpiciat cauſas rerum, fineſq́; bonorum;
Proximus indè loco eſt ponendus iure ſecundo,
Qui nihil inueniat per ſe, ſed recta monenti
Pareat: aſt qui nec ſapiat neq́; præbeat aures,
Rebus in humanis, is prorſus inutilis eſt vir.

* * *

Intolerabiliùs nihil eſt, ſi ſus malus, aut bos
Parrhaſius virgam cenſoris vindicet, atq́;
Audeat emeritis præfigere vatibus atrum
Carbonem, ſinè nari acri, ſinè pectore ſalſo,
Nil non conuellens, nemo faciat ſatis, & cui.

Porſius.

Inſcius artis erit, qui veram ſpreuerit artem,
Nā quæ nota minùs ſunt quoq́; grata minùs.

TITV

TITVLVS VI.

Paræneſis de legibus Scholaſticis.

Siberus.

Leges Scholaſticæ.

Primum timor Domini, quod eſt Sapientiæ
Caput, Deum venerâre toto pectore:
Finem laborum nec tuorum noueris
Vllum, Dei Chriſtiq́ꝫ præter gloriam.
Cum lege te didiceris eſſe Dei reum,
Contaminatæ mentis ob caliginem,
Et plurimorum fœditatem criminum:
Tum propriarum dignitate virium,
Non ſtare contrà poſſe vultum vindicis:
Plenus fideq́ꝫ ſpeq́ꝫ, ad aram confuge,
Aram Dei dico perennis filium:
Qui morte triſti noſtra finiuit mala,
Quem propter & miſertus omnium Pater,
Spondet ſalutem perpetem credentibus.
At de Dei Clementia iam certior,
Eius capeſſe iuſſa toto pectore.
Cultus parentum, curæ muneris ſui,

Mens

Mens grata, dextra liberalis, sobrius
Victus, voluntas promta, pectus tolerans,
Modesta lingua, veritatis os amans,
Mores pudici, vita fraudis inscia,
Sunt Christiani certa signa nominis.
Fides salutem dat, sequuntur hæc fidem
Non mortuam flatus sacrati munera.
Adhibe fidem promissionibus Dei:
Mendax homo est, nescit Deus sed fallere.
Pœnas minatur maximas incredulis,
Fideiq; gaudet esse nostræ debitor.
Operare sanctis precibus omni tempore,
Seù manè surgens, seù, quiescens vesperi,
Præsens vt adsit omnibus laboribus,
Mentiq; lumen præferat tuæ Deus.
Vt Principes, Ecclesiam, scholasticos
Cœtus, Parentes, & Magistros, & pios,
Quocunq; sunt loco gubernet et tegat.
Sed nec prius non inuocato Numine
Sumas cibum: qui namq; condidit Deus,
Alimenta mortali dat idem corpori.
Cibum modestus carpe: non lupum, aut suem,
Hominem esse te memento, cogitans Dei
Pasci benigna membra nostra dextera.
Pulsaq; iam fame, dato pro munere
Preces eidem funde grato pectore.
Quid plura? quicquid incipis: rerum omnium
Præsto tibi nûmen Dei sit supplica.

Nam quas fauor gubernat & bonitas Dei
Res, exitum ſolent habere proſperum.
Feſtis diebus concionibus ſacris
Libenter adſis: quæq; dicuntur, pia
Exprimere vita, & moribus ſanctis ſtude:
Nec garriendo te gere immodiſteùs
In æde ſacra, non verens homines modò,
Deum ſed ipſum, cum beatis Angelis.
Quid horter, vt ritus colas Eccleſiæ,
Quos Chriſtus ipſe tradidit? ſpernit Dei
Quicunq; verbum, & inſtituta negligit:
Ex patre Sathana natus eſt, non ex Deo.
Iuſto parentes, ſic Deus iubet, tuos
Dignare cultu: nec patres animi minùs,
Qui literis, pietate, moribus inſtruunt
Ipſos iubere, te decet iuſſa exequi.
Ab his loco venerare proximo ſenes,
Natu patres, & eſſe maiores puta.
In literas incumbe toto pectore,
Fortis laborum perferens moleſtias:
Amariores ſunt quidem radicibus
Scientiæ, ſed fructibus dulciſsimæ.
Muſis amica Aurora, partem perficit,
Eademq; tertiam operis? ergo ſurgito,
Et mane tempus optimum da literis.
Nec perde reliquum ocio ſegnis diem;
Iactura nulla maior eſt quam temporis.
Qui lectiones ſæpè negligit, fore

Quis

Quis hunc putet doctum, vigere maximè
Cum continens in literis soleat labor?
Quod si tamen te causa abesse iusserit,
Eam magistrum ne latere tuum velis.
Ingressus in ludum caput nuda, locum
Et tacitus in subsellijs datum occupa.
Instructus armis, fac relictis omnibus
Agas, quod illic flagitat præsens locus.
Ab ore pendens te Docentis, excipe
Quæcumq; dicit, vt quotidiè doctior
Fias; quis est sinè namq; diligentia
Receptus vnquam Aganippidum sacrarijs?
Qui contumax obedientiam abijcis,
Qui non magistris mente tota gratiam
Persoluis, & quod te decet munus facis:
Qui sustines obmurmurare, cum in tua
Non inuehuntur spontè delicta acrius:
Procul ô fuge, sacrum locum nec pollue:
Qui literas amat, amat idem corrigi,
Idem Magistro obtemperat gratus suo.
Edisce quod iubet magister discere,
Et memoria constare Doctrinam puta.
Non alterum recitantem ad aures admoue,
Susurrus ille plurimum discentium
Cursum impedire, & diligentiam solet.
Finita quando est lectio, tacitus tum
Conclaue adi nulli molestus alteri.
Nec hac, nec illac cursita circùm vagus:

Mox

Mox a Magistro dicta, seu de moribus,
Seu literis inscribe pectori memor,
Præcepta disce prima perfectè artium;
Hærens in his, non audet vnquam liberè
Aut scribere, aut loqui, locus si postulet.
Per omne si vis ire scriptorum genus,
Docta monentis voce semper vtere:
Propone quem sequaris optimum tibi,
At cæteris vtâre, moneo, parciùs.
Depone nunquam de manu stylum: sed hunc
Oratione, versione, carmine
Exerceas: lux nulla sit sinè linea.
Magister est dicendi & artifex stylus,
In literis absq; hoc opera & oleum perit.
Quam commodum est communicare sæpiùs
Cum pluribus, communibus de literis?
Amica sed sit illa conuersatio.
Quæ cum frequens est, tum laborem subleuat,
Ad res paratum maximas & efficit.
Ætate fruere, quæ cito cursu fugit:
Constet tibi ratio distributi temporis.
Age, ordine ac loco suo, quæcumq; agis.
A prandio cœnauè, quandò ludicris
Vacant sodales, si quid est leuis rei,
Quæ non eget animi ingeniuè industria
Agendum, agas: ne quid perire temporis
Sinas, quod est tuo dicatum Apollini.
Quos iungit ætas, & professio, & locus,
Ama

Ama, nec vllo læde durus verbulo:
Nec cæteros ama minùs, quos copulat
Tecum fides, & caritatis regula.
Imitare ſedulos proboſq́; ab improbis
Seiunge te; contentionem & iurgia,
Quæ barbaræ ſunt ſigna naturæ, fuge.
Lapſos mone, non diligentes corrige.
Nefas nocere vel malis ingens puta.
Patiâre potiùs quam inferas iniuriam.
Quam ſit tibi fortaſſè quis fecit prior:
Aut perfer: aut ſi maior atq́; indignior,
Quam ferre debeas, magiſtris indica:
Homini æquus ipſi, verum iniquus crimini.
Tu verbera nullum, nec vlli iraſcitor.
Non execrando precare quid cuiquam mali.
Non arroganti pectoris faſtu tumens
Præpone te aliỹs, neminemq́; deſpice.
Qui gratiam dat mitibus ſuam Deus,
Idem ſuperbis iurè pugnat omnibus.
Non veſte ſecta, non breui, non pendula,
Incede, ſcurra ſicut, aut miles ſolet
Aut qui feras ſectatur altis montibus.
Sit apta tunica, calceus decens, toga
Qualis modeſto, & non ſuperbo conuenit.
Non enſe, & armis efferus ſuccingere:
Cum Marte Muſæ nil habent commerciỹ.
Quid ora iubeam manè lymphis vt riges?
Capillus vt ſit pexus, vt mundæ manus,

Con-

Conclaue conuersumq́, composti libri
Puræq́ vestes, stragulæq́, lectuli?
Nil, quam Puer non mundus, est odiosius.
Baccho Cerereq́ temperātèr vtitor:
Luxuria vires mentis atq́ corporis
Frangit, venenum Colchicis nocētiùs.
Vbicunq́ regnat crapula, virtus exulat.
In publico nè turpitèr te gesseris,
Aut per plateas otiosus ambulans,
Aut circulis loquendo stans forensibus.
Sed strenuè si iussus es quid, perfice.
Senex tibi si factus aliquis obuiam,
Aut publici fungens honore muneris,
Decede de via, caputq́ detege.
Interrogatus, fac breui respondeas,
Præfato honore, gestibusq́ corporis,
Vultu & pudorem liberalem præferens.
Quod Sol diei, hoc est puero modestia.
Latere nullum facinus occultum puta,
Remotus omni licet ab arbitro locus:
Tamen verere ubiq́ præsentem Deum,
Oculi vident notantq́ cuius omnia.
Nihil loquatur tenera lingua obscænius,
Os verba balbum obscæna quomodo decent?
Nec garrulum esse facilemùe conuenit:
Semper tace, de rebus aut loquere bonis.
Raros silere, lingua multos perdidit.
Si cogitata mentis efferenda sunt,

Non anteuertat lingua mentem lubrica:
Tua clara sit vox, nec nimis volubilis,
At si Magistro loqueris, aut æqualibus,
Animi latinè facito sensus explices;
Est purus index sermo diligentiæ,
At diligentia est bonæ index indolis.
Ne riseris cum nulla risus causa sit,
Et risu inepto nulla res ineptior:
Nec sint tui Timonis æmuli sales,
Nec fraude, nec aliena aperta vi rape.
Nil insciente vel magistro vel patre
Eme, atq; vende, debiti nil contrahe.
Restitue si quid inuenis, domino suo.
Ne quid tamen perdas tuorum, sedulò
Vestes, libros, & quicquid est custodias.
Ne mentiâre, odit Deus mendacium.
Vera audi, amaq; vera, vera dicito:
Nil est amore veritatis pulchriùs.
Cum te dabis iucunditati, turpibus
Nec vtitor ludis: nec in conuiuijs
Leuis choreas aut ineptus ducito.
Ne nocte ludi tecta clanculum exiens
Ædesuè patris, furta secteris mala,
Aut poculis intentus, aut lasciuiæ.
Caret pudore nox & adolescentia.
Domum vocatus, fac modestis moribus,
Grauiq; vita te geras, ita cæteris
Vt disciplinæ liberalis præbeas

Exemplum, honori sis tibi atq; literis.
Nec vinculis teneâre sic domesticis,
Vt literarum obliuione debitum
Ad muneris locum recurras tardiùs.
Sed quid moror? fac omnibus dictis Deum
Verearis, & factis, bonisq; in literis
Versando, sic vitam instruas, vt inuidis
Non detur ansa calumniandi, aut improbis:
Nec vnius culpa audiant omnes malè.
Ad res honestas imperans tibi, excita
Sensus iacentes: parte meliore vtere
Mentis, perennem ex literis vt gloriam
Olim reportes, vtq; congeras opes,
Quas nulla vis, & nullus eripit dies.
Nam cuncta pereunt: sola perpetuò manent
Pietatis atq; mentis exculta bona.

PARS



PARS SECVNDA.

De vigilantiæ fructu, laboris commodis, atque otij incommodis.

TITVLVS I.

Curæ abijciendæ.

Blyenburgius.

SI tibi prudẽtum sit consuetudo virorum,
Si tempus, studijs si locus aptus erit;
Si tua nec mens sit funestis obsita curis,
Si tibi librorum magnus aceruus erit:
Inuigila his: docti nomen venaberis: illa
Sola solent doctis præsidia esse viris.

Infensa

Lampridius.

Infensa bonis studijs
Cura hominum ingenuas mentes lacerat:
Ac veluti freto
Cum Bistonio nothus acer
Aut Aquilo incubuit
Furens, ab imo,
Nec mora, surgit arena Erebo;
Fit fremitus pelago in summo: gemunt
Percussu littora fluctibus nigris:
Sic illa animos iactat æstu
Bacchante, leues adimens somnos,
Dulcesq; Musarum lepores.

Scriverius.

Insomnes curæ, placidæ ludibria mentis,
Ite procùl: tetrico non licet esse mihi.
Artibus ingenuis studeat mens libera curis;
Curæ hostes Phœbi, Pieridumq; gregi.
Qui volet ex voto diuinum pangere carmen,
Curas Oceani fluctibus ille dabit.
Vnica cura hæc sit vigili impallescere lychno:
Æternum hæc homines cura beare potest.

Meyerus.

Vt qui vincla gerit pedibus se promouet ægrè,
Sic studium tardat cura profana pium.

Tran-

Incertus.

Tranquillam & vacuam curis Sapientia mentē
Imbuit, & placidi pectoris hospes erit.

Decimator.

Ceù tristes animo premit dolores
Expostus varijs miser periclis:
Remo qui peragit sali profundum,
Cum desæuit hyems fremente Ponto,
Deturbat rapidas Oryon vndas,
Horrendos Aquilo sonat boatus,
Nigrescit nebulis opacus aër,
Nigrescit facies iniqua Ponti;
It classis tremulo citata cursu
Iam perfert Boreæ furentis ictus,
Iam fluctu quatitur sonantis vndæ.
Nil iam, nil nisi tristè nauta voluit
Pertractans animo tumultuosi
Turbatus grauibus freti procellis.
Si verò placidos adire portus
Detur, queis remanens ratis quiescat:
Gestit Nauta, suos agens triumphos,
Et grates meritas canit Tonanti.
Nunc audisse iuuat maris procellas,
Nunc audisse iuuat Noti tumultus.
Sic omnis viridi vigens Iuuenta
Viuit, quem variæ petunt procellæ,

Incertæ

Incerta quaſi ſede dum vagatur.
Huic tendit rapidas Venus ſagittas,
Palantem crucians proterua mentem.
Hunc fluctu rabido tumens, veſanus
Infeſtat varijs modis Iacchus.
Cui plures comites: moleſta mentis
Et laſsis capitis grauedo: rixæ
Probroſæ, rabies veſana, turbæ,
Et fuſo tragicæ cruore mortes.
Aſt omnes iuuenum referre verſu
Curas, eſt pelagi referre fluctus,
Et ſtellas rutili referre Olympi.
Has tu nî fugias, potes nequaquam
Addictus ſtudijs quietem amare.

Poſthius.

Carnifices hominum ſunt curæ, viuere longùm
Si cupis, has animo, quà potis, eÿcias.

* * *

Corda vrunt vigiles roduntq́; miſerrima curæ,
Mortiſq́; properant antè iuſtum terminum:
Ergo hos carnifices abige, has vitæ eÿce peſtes,
Quem liberali ſors beauit dexterâ.

Borbonius.

Is moritur viuẽs quem cura & ſcrupulus vrit:
Viuit qui gaudet conditione ſua.

Cura

Incertus.

Cura dat insomnes noctes, horasq́ per omnes
Excruciat, lætus excute corde metus.



TITVLVS
II.
Otium fugiendũm.

Aulæus.

Semper agas aliquid, corrumpunt otia mentẽ,
Desidia est omnis causa caputq́ mali.

Scriuerius.

Otia, Desidiamq́ fuga, disce impiger Artem:
Ars in quo nulla est, hic perhibetur iners.
Te labor ad cælum tollit: verum improba Seiren
Desidia, ad Stygios præcipit ire lacus.

Iunius.

Illiberali qui otio tempus terit,
Superatq́ sortis conscius suæ modum,
Benignitatis ille fontes inficit,
Irusq́ fit largitor esset cum prius.

Modius.

Sperne voluptates nunc iã & ceù pocula Circes,
Otium iners, luxum desidiámq́ fuge. (est,
Et quoniam á teneris Virtuti assuescere multũ
Disce, viro quondam quæ tibi agenda puer.
Commenda imprimisq́ Deo tua consilia & spes,
Concedet votis plusq́ etiam ille tuis.

Palingenius.

Laurea desidiæ præbetur nulla, potenti
Esto animo, atq́ aude: audenti fortuna fauorem
Sæpè tulit, pauidoq́ vetat gaudere triumpho.

* * *

Otium (enim) fomes vitiorum est, otia mentem
Ad mala multa trahunt, otî comes ipsa libido est
Otia felices euertunt funditùs vrbes.

* * *

Segnities robur frangit, longa otia neruos
Debilitant, ignaua quies effæminat artus.

Andrelinus.

Corrumpunt celsas forti cum pectore mentes
Otia plumoso desidiosa thoro.

* * *

Languida corrumpunt ignauas otia mentes.

Apherdianus.

Desidiã pestis non est violentior vlla,

Prodijt

Prodijt ex Stygiâ quæ Phlegetontis aquâ.
Exitium cunctis quoniam mortalibus infert:
Excæcat iuuenes non minùs atq́ senes.
Regibus inducit clades & tristia fata,
Vrbes euertit firmaq́ castra Ducum.
Quam nisi deuincas, parietur gloria nulla:
Rebus enim magnis inuidet illa nimìs.
Hercule nobilior, domuit qui grandia monstra,
Fiet, qui potis est hoc superare malum.

Hessus.

Perditur á studijs alienum tempus honestis.

Crinitus.

Nil mortale genus tam grauitèr premit,
Nec tantum miseris vrbibus obfuit,
Quantum degeneris torpor inertiæ,
Ac luxus nimiùm fluens.

* * *

NOVATE, non satis decet
Acrem Iuuentæ spiritum
Torpere molli inertia,
Aut implicari fœnore.
Namq́ hoc habet Florentia;
Censetur ille maximus,
Qui fœnus addit fœnori,
Nummósq́ plures congerit,
Vt diues in foro queat
Se purpuratum vendere.

Basinius.

Otia dira terunt animos, hominũq́; vigorem:
Hinc insana sitis, magnæq́; libidinis ardor (di
Improbus, hinc rabies, et amor malesanus habē-
Nascitur, hinc sensit nocturnas ianua rixas.

Reusnerus.

Ceù putredo trabes, & lignum conficit ignis,
Sic torpor mentem, curaq́; sæpè necat.
Et ceù vomer iners scabrescit sorde, situq́;,
Sic mens pigritia, lentitiaq́; perit.
Cuncta potest vsus: labor improbus ōnia vincit:
Quem quicunq́; fugit, iam decus omne fugit.

* * *

Odi homines ignaua opera, vigilanteq́; lingua:
Stat vigili virtus firma labore diu.
Scilicet ars vsu, curâ sapientia crescit:
Materiem vitijs dat diuturna quies.
Qui felix, et qui prudens vult esse, laboret,
Commoda Dî vendunt cuncta labore graui.
Sic et Aristoteles fertur plerumq́; lapillum
Peruigil in somnis sustinuisse manu.
Segnitiem fugiat, studij qui flagrat amore:
Ignauas odit Sorsq́; Deusq́; preces.

* * *

Quisquis Desidiam sectatur, Luxuriamq́;,
Qui lautè comedit, qui lauat, atq́; bibit:
Qui

Qui fingit vultus, ornatq; ſubinde capillos
Ad ſpeculum: captans ſic ſimulacra ſui.
Nec ſua cum duris ſudoribus otia miſcet:
Nec quod agat ſẽper, quodq́; ſequatur, habet.
Deniq; qui ſe ſtultus amat; ſine corde virili
Semimarem meritò dixeris eſſe virum.
Forma viros neglecta decet, cultuſq́; virilis
Legitimum finem conuenientèr amat.

Morualenſis.

Soluit inertia, luxus, & otia, cum grege clerum.

Dedekindus.

Otia mortales culpare ignaua ſolemus,
Otia laudando ſunt fugienda viro.

Meyerus.

Segnitiâ nihil eſt peiùs, præſentia perdit
Commoda, quæ nondum parta, parare vetat.

Otia, damna puta: nil prætermitte laborum
De quibus adferri non mala cauſa queat.

Aerſſenius.

Deſidiæ nulli debentur præmia, ſolos
Artibus intentos commoda grata beant.

VVenigerus.

Non inhiat ſomnis, ſed tendit in ardua Virtus:

Euehit ignauos gloria nulla viros.

Manmakerus.

Vix millibus vnum
Pro pudor! è multis, euexit ad æthera Virtus.
Causa subest; cunctos fregerunt desidis otî
Illecebræ, Syrenq́; Venus: quater ille beatus
Qui vitÿs istis procul, ignauâq́; quiete,
Duxit inoffensum Virtutis ad atria gressum.

Ballista.

Et veluti ferrum multa rubigine sordet,
Illud si nullis vsibus admoueas;
Corpora non aliter fœdantur nostra, ruuntq́;
In vitium, fuerint si requieta nimis.
Flebile prætereà, miserumq́; est dicere, Regem
Non posse aut certè nolle mouere gradum.
Experiâre tuum sensim, & certo ordine robur,
Id labor augebit, si moderatus erit.

Mediolanensis.

Mollescunt lento fortes torpore lacerti,
Quorum nutritur sæpè labore vigor.

Agricius.

Non habitat tepido sacra Minerua thoro.

Thinophanius.

Despice desidiã, genitrix namq́; illa malorũ est,

Nil

Nil veniet fructus absq́ labore tibi.
Absq́ labore Deus tradet sua munera nulli,
Omnibus in rebus sedulus esto tuis.

Brucherius.

Otia nulla colas, pulchrum nè sperne laborem,
Qui cupis illæsâ virginitate frui.

Læsius.

Hora fugit præceps nullâ reparabilis arte;
Quæ semel excessit nulla Iuuenta redit.
Quis furor est, nunquã redituras perdere luces,
Et dare non licitis tempora sacra iocis?

Boissartus.

Tempus præteritum nequit reuerti.

Hagius.

Otia deuites rabidam ceu nauita Scyllam,
Otia, quæ nullum concomitatur opus.
Otia sunt hominis viui mors atq́ sepulchrum;
Hæc contrà superat, suppeditatq́ labor.

Incerti.

Post vinum verba, post imbrẽ nascitur herba,
Post studium scire, post otia sunt perire,
Post florẽ sequitur fructus, post crimina luctus.

* * *


Discere nolentes, sed nocte dieq́ bibentes,
Aut colludentes, gladios atq́ arma gerentes,
Luceq́ stertentes, noctu clamore furentes,
Non sunt Studentes, sed nudum nomen habẽtes.

* * *

Si neglexisti Iuuenis, quod non studuisti,
Non est vt reris quod Doctor in Arte creeris.

* * *

Vt mala deuites, aliquid fac, otia vites.



TITVLVS III.

Laborandum, presertim in Iuuenili ætate, & labori patienter insistendum.

Iunius.

Laborãdum. *Sedulos poscit studium labores,*
Condat hos serus, fugiente Phæbo,
Noctuæ cantus licet ominosus
Palladi sacræ.
Antelucanæ reuocent eosdem

Impi-

Impigris fabris operæ placentes:
Æmulus quarum fuit Atticorum
Buccina Rhetor.
Deindè fœcundo Nemesis fauore
Prouehat dium studium necesse est,
Vtq́ sub dextro genitalis ortus
Rideat astro.
Tertias partes Honor obtinebit
Euehens cælo, & Fauor almus ora
In tua applausu quatiens cateruas
Omine læto.
Sin malignantis premat atra sortis
Hora, Mecænas modo fautor adsit,
Sanguinem & neruos vigili labori
Addet abundè:
Siuè tu socco facili pedem armes,
Seù Sophoclæo tumeas cothurno,
Seù velis scriptis spatiosa Rhetor
Claudere terga.
Cui simul dotes Superi benigni
Cesserint cunctas, super astra solus,
(Aureæ Sasbote decus Camœnæ)
Iure locetur.

Posthius.

Siue quis ingenio, seu forti excellere dextrâ
Contendat, integrâ est opus
Mente manuq́: opus est longos perferre labores,
Cupita

Cupita donèc præmia
Accipiat victor, celsâ & virtutis in aulâ
Pleno triumphet gaudio.

* * *

Vita honesta manet laboriosos;
Quiduis cura laborq́ue consequuntur.

* * *

Disce sequi certum vitæ genus atq́ue laborem,
Quæq́ue tui non sunt muneris illa fuge.

Buchananus.

Quod sæpè Vis non perficit vincit labor.

Fungerus.

Omnia nanq́ue potest labor, atq́ue industria rerum.
Saxa cauantur aqua, veneranda Scientia duro
Sudore accedens, dimanat in intima cordis
Claustra, laborãtes etenim Deus adiuuat omnes.

Aulæus.

Assiduo Superi vendunt sua dona labore,
Laudeq́ue nil dignum prorsus habebit iners.

Borbonius.

Nostra laborando exerceri corpora præstat,
Nam citiùs quam vsu teritur rubigine ferrum.

* * *

Vt virtute nihil constat preciosius esse,

Res

Res ità maioris nulla laboris eget.

Vrſinus

Vt vires opere in magno, & ſublimibus actis
Defuerint, grauium ſuccumbens põdere rerum,
Grata Deo mens eſt, & non deſpecta voluntas.

* * *

Maſcula ſed virtus & ineluctabilis ardor
Aut tolerando omnes nouit perferre labores,
Aut didicit magno Fortunam euadere niſu.

Sadoletus.

Multò eſt præſtantiùs ipſo
Ingenio, aut quouis extendere fata labore,
Quam faſtus, & opes, & inanẽ extẽdere luxũ.

Petrarcha.

Magno quæſitum quippe labore
Chariùs inuentu eſt, imis quod terra cauernis
Abdiderat, venit in Lucem pretioſiùs aurum,
Dulciùs ignoto iacuit quæ littore Iaſpis
In digitos tranſlata micat, ſic blandiùs æther
Poſt nebulas, pluuiamq́ꝫ nitet, ſic nocte fugata
Expectatus adeſt, & gratius aſpicitur Sol.
Ergò age! propoſitũ qua fert nouus impetus vrge
Et ſtudijs incumbe ſacris, vbi lucida Veri
Effigies altè latitat, quam ſpiritus acris
Eruet ingenij ſenſim, ſciſſaq́ꝫ parumper

Nube, per obstantes cernet radiata tenebras.

Reusnerus.

Si vos laus & fama iuuat, virtutis Amore
Difficiles pigeat nè superare vias.
Si nihil infesti durus vidisset Vlysses,
Forte magis felix, at sinè laude foret.

* * *

Multa feret facietq́ Puer; Superisq́ vocatis
Promptus erit validas spōtè mouere manus.
Vt famam studijs & honores nempe reportet
Inuictum debet pectus habere malis.

* * *

Rusticus vt gelidæ mandat sua semina terræ
Et fructus tandem percipit inde nouos.
Sic nos è veteri pariter tellure renatos,
Ferre decet fructus cum pietate bonos.
Turpe nefas, si quis sit pondus inutile terræ,
Ceù semen moritur quod sinè fruge bona.

Euangelista.

Nullus Doctrinæ, nullus Virtutis amator
Eximius magnusq́ fuit, qui indoctus, inersq́
Extiterit; curas, sudores, atq́ labores (tum est.
Vincit Amor summus, minuens quodcūq́ moles-
Non ille horrores hyemis, non frigora brumæ
Horrescit: nō ille niues formidat, & imbres, (nes
Nō æstus metuit: Baccho & Venere abstinet, om-
Euigi-

Euigilat noctes, quem tanquam dente tenaci
Vipera correptum, Sapiētia pulchra momordit.

Augurellus.

In magnis labor est, nec non par gloria, si quem
Respiciunt placido præsentes lumine Diui,
Insequiturq; ardēs velut indè accēsa voluntas.

Agricius.

Vt rosa Pestanis surgit contexta rubetis
Et mox cana nouis albet amicta comis:
Sic laus ex duris surgit conatibus ingens,
Nec leuis è terris callis ad astra datur.

Meyerus.

Lingua canat, mēs oret, opus dum dextera pfert
Non vult immemores nos Deus esse sui.

Brunus.

Animus constans,
Intrepidus rectum sequitur, patiensq; laboris,
Pro virtute nihil trepidādum vel graue ducit.

VVegnerus.

Vos, quibus ætatis Ver seruit, ferte labores:
Gloria quandoquidem si venit, indè venit.

Chytræus.

Ingenium solers tibi si Natura negauit

Com-

Compensa ingenij damna labore tui.

Mancinus.

Istùc intendas neruos, cunctosq́ labores,
Quò si peruenias, sit tibi parta salus.

* * *

Culto agro nihil esse potest ornatiùs, atq́;
Vberius, tibi cura tui non desit agelli.

Egenolphus.

Otia laude carẽt: comes inclyta fama laborũ est.

Adamæus.

Maxima de minimis, de paruis magna resur-
Deuenit & maiùs, quod solet esse minùs. (gũt,

Angerianus.

Nosce diem venient tristissima nubila, quumq́;
Grata voles vitæ sumere dona, fluent.

Bembus.

Nec reflorescunt quæ iam cecidère genistæ,
Nec redeunt qui iam præteriêre dies.

Apherdianus.

Sit tibi parua, Puer, magni formica laboris
Exemplo: aërias fac imiteris apes:
Quæ nunquam cessant opus exercere, coruscis
Flo-

Floribus assultant, vndiq; mella legunt.
Grana sibi condunt formicæ tempore messis,
Nè frustrà quærant cum venit acris hyems.
Cernis vt ardentes currat Mercator ad Indos,
Quò redeat nummis tensa crumena domũ.
Rusticus impresso tellurem vomere scindit,
Vt lætam segetem versa refundat humus.
Sic iuuet intentum studijs te, quæso, Mineruæ,
Sedulò Pieridum concelebrare choros.
Non æstus, non frigus iners te terreat vnquam,
Non gelidus sudor, continuusq; labor.
Oceani tumidos cùm fluctus exit & intrat
Te rutilus Titan cernat adesse libris.

Hessus.

Dulces Ephebi, dum Iuuenta florida est,
Dum vernat ætas, & viret pubes calor
Multum interest quam quisq; sectetur viam,
Qualem Senecta vel probet, vel non probet.

Eucharius.

Continuâ impensi cum sedulitate labores,
Sunt adolescentis nuncia clara boni.

Iunius.

Quære puer, fruitorq; senex formica monebit
Hoc, hyemis memor, æstatem cantante cicadâ.

Rudingerus.

Sedula apis flores, formicaq; sedula aristas,

Hæc æstate, illa at Vere tepente legit.
Sic vbi tempus erit, rebus fac sedulus instes,
Est opportunâ falce secanda seges.

Porsius.

Horrifer vt Boreas agri genialis honorem
Exuit, vt canas fundit in arua niues:
Frondibus vt spoliat syluas, vt floribus hortos,
Pigraq́, concretis frigora frenat aquis:
Sic tibi deformes mutabunt tempora cani,
Coutrahet & vultus arida ruga tuos.
Pendebit laxata cutis, rubigine dentes
Squalebunt, oculos inficietq́, rubor.
Mellea deficiet facundæ gratia linguæ,
Imminet en vitæ frigida Bruma tuæ:
Dum nos ergo sinunt fata inuidiosa, senecta
Temporis vtatur Vere, iuuenta suo.

Apherdianus.

Iuuenta, nullus prætereat dies;
Quin ducta semper sit tibi linea:
Vt quondam Apelles factitauit,
Ocia desidiosa vitans.
Dum mollis ætas floreat, artibus
Et moribus nè reddere differas
Mentem politam, quæ bonorum
Optima sunt peritura nunquam.
Non comparantur diuitÿs, labor

Sudor-

Sudorq́ anhelus sunt pretium, sua
Facunda quo vendit Minerua
Munera, Chrysocomusq́ Phœbus.
Hic esse ducas nil pretiosius
Quam tempus, aurum cui nitidum nequis
Conferre, fulgentesq́ gemmas,
Nec quod opum creat alma tellus.
Rhamnusiæ si perdideris bona,
Multis leuari damna queunt modis,
Verum fluentis more transit
Irreuocabile tempus vndæ.
Iactura nullis hæc repararier
Potest modis, & perpetuus dolor
Adest comes: quare cauendum
Ne sinè fruge teratur æuum.

Aulæus.

Debilis vt senio, lassusq́, quiete fruaris,
Disce volens Iuuenis ferre laboris onus.

Incerti.

Absq́ labore graui fit homo nullus citò doctus,
Nec sapit ille cibus, qui non fuit anteà coctus.

* * *

Vt mala deuites, aliquid fac, otia vites,
Nunc age, nunc ora, lege nunc, vaga nulla sit bora

* * *

Nunc lege, nunc ora, nunc cum feruore labora,

Sic erit hora breuis, & labor ipse leuis.

Porsius.

Labori patienter insistendum.

Perdurate; grauem patientia firma laborem
Vincat, & adiuncta sedulitate fides.

Posthius.

Omnes humanos vincit Patientia casus
Hanc adhibe, hæc cunctis est medicina malis.

Capilupus.

Perfer, non facili scandere tramite
Mentem fas hominum; Sole vbi clarior
Virtus tempore in omni
Certis fulget honoribus.

Euangelista.

Sarcina nulla grauat, modo sit dilecta, ferenti:
Fit leve vel magnum, si benè fertur, onus.

Sambucus.

Fortis in aduersis animo non frangitur alto,
Sed contrà semper promptius ire parat.
Crescit & obdurat, iuuat indulgere labori,
Pascitur hic læsis, vincula nulla timet.
Aureus vt foliis, & lento vimine ramus
Auulsus simili pignore, fronde redit.
Non minor & mens fit variis exercita curis

Quouè

Quouè magis demis, copia maior erit.
Augeſcunt, non franguntur diuina labore:
Res hominum abſumit, perficit illv labor.

Bonefonius.

I felix, nè cede malis, ne defice duris
In rebus, magno venduntur magna labore: (tes
Nec niſi poſt domitos immania monſtra Gigan-
Iuppiter ætherea princeps regnauit in aula.

Billius.

Vritur, atq; graui ſolet exclamare dolore,
Qui timidam calido ponit in igne manum:
Cōtrà qui magno pedibus terit impete flammã,
Hanc necat, & damni ſentit ab igne nihil.
Sic capit ignauo rigidos qui corde dolores
Frangitur, & ferri poſſe moleſta negat,
At qui magnanimò complectitur aſpera mente;
Aſperitatis ei nil labor vllus habet.

Guiliermus.

Sudare quandò certa neceſſitas
Cogit harena, tu memento
Induere herculeos labores.

Chytræus.

Multa ferenda viro cupienti diſcere multa.
Si nil ferre potes rudis, incultuſq; manebis.

* * *

Qui non est patiens sapiens nequit esse; proindè
Disce lubens, sapiens si voles esse pati.

* * *

Commoditas omnis sua fert incommoda secum:
Hæc perfer si vis commoditate frui:

Decimator.

Non semper tetricos rigens capillos
Eructat tragicos hyems boatus,
Nec semper glacie nitet coactum
Æquor, nec pluuias ciens Orion
Infestos trahit ater vsq; nymbos:
Nec semper Borea fremente tellus
Horrendum gemebunda contremiscit;
Sed tandem rigida labante bruma
Vultu purpureo recurrit æstas:
Nimbosis tenebris polo fugatis
Arridens iterum venustus orbi
Phæbus blandidulum iacit nitorem.
Sic non vsq; tonans minas feroces
Sors pressos homines atrox molestat,
Sed tandem releuans beatiori
Dat rerum miseros statu potiri.

Incertus.

Disce pati casus inuicto corde sinistros,
In cælum molli non datur ire via,

Palma datur nulli ſinè puluere; ferre laborem
Diſce coronandus, nemo triumphat iners.
Dulcia vis, par eſt priùs experiaris amara,
Poſt guſtum fellis copia mellis erit.

Alanus.

Dum calor eſt & pulchra dies, formica laborat,
Nè pereat dum nix venerit alta fame.
Sic iuuenis, dum tempus habet ſudoribus aptũ,
Quærat quo poſsit laſſa ſenecta frui.



TITVLVS IV.

Vigilandum, & temporis habitâ ratione, nihil procraſtinandum.

Iunius.

Inuigilare libris, ſtudio metirier horas, Vigilandum.
Pars vitæ eſt princeps: otia vita fugit.
Fama vehit vigiles, ſepelitq́; obliuio inertes:
Hoc liber explicitus, clepſydra, lychnus habẽt.

Sambucus.

Qui vigiles studijs noctes egêre diesq́;
Parcere non oculis, nec voluêre sibi:
Hos celebres lato nomen disseminat orbe,
Ac simul in cælum fata suprema vehunt.
Mortua nō mors est, quæ etiā post funera viuit:
Hoc decus a Musis, præmia tanta ferunt.

* * *

Quod tempus studijs seueriores
Certatìm tribuunt, feruntq́; amicum?
Est Aurora, parens viam diei
Nondum cum radijs sequens coruscus
Sol, pastos reuehit suos iugales.
Tum nulli impediunt graues calores,
Vexant frigora nec molestiora.
Ergò qui sitiunt sacros liquores,
In fontesq́; ruunt perenniores,
Auroram studijs colant amicam.

Reusnerus.

Quisquis amat Musas, Auroram diligit ille
Peruigil, & studijs mane rubente vacat.
Nam Musis Aurora sacris Dea fertur amica:
Dum cerebrum, sensus, mens, ratioq́; vigēt.
Sic homo doctrina, sic vsu crescit, & arte,
Quam census vitæ quam comitatur honos.
Infelix quicumq́; piger sic stertere mane

Susti-

Sustinet, & somnos gaudia magna vocat.
Qui viuit, vigilat: Mors est velut altera Som-
Pro lucro damnũ cui placet indè feret. (nus:

Montanæa.

Excutite, admoneo, pulsa caligine somnos,
Iudicis aduenit tempus & hora Dei.
O, vigiles aperite animos, incuria nè vos
Impia terribili deprimat exitio.

Morualensis.

Vitet inutile, quin super vtile ponat honestum,
Nocte gelu ferat, atq́ die gerat vt Iacob æstum.
Sint vigilantia, sint sibi nescia lumina somni.
Sit sinè vulnere mẽs, sine munere sit manus õni.

Decimator.

In toto nihil est durabile climate mundi,
Quicquid syderio Phœbus ab axe videt;
Omne perit quicquid rerum natura creauit,
Tendit & in nihilum, quod fuit ante nihil.
Mors non spectat opes, non aurea vasa, sed Irum
Et Crœsum simili conditione rapit.
Sic indoctus homo cum fata nouissima claudit,
Eius cum membris fama sepulta iacet:
Sed non doctorum cum corpore fama quiescet,
Semper at ingenij stat sine morte decus.
Sic homini claro post mortem gloria maior

Surgit,

Surgit, & illius fama perennis erit.
Inclyta tum demum cessabunt nomina docti,
Rhenus vbi nullas siccus habebit aquas.
Ah miser! ah demens! ah! spe fallente laborans,
Qui modo Crœsæas quæris auarus opes.
Ignis opes rabidus terrenas diripit omnes,
Ars manet, & nunquam succubuisse potest.
Post cineres lucēs defuncti gloria viuet,
Nec sinet hunc vnquā posthuma fama mori.
Ergo magis spretis opibus studiosa Iuuentus
Musarum castris inuigilare sacris.
Tempora sic omni vigilans, nec discere cesses,
Sedulus & doctos volue reuolue libros.
Thespiadum miles, studiosus castra sequaris,
Gorgoniisq; iuuet labra rigare vadis.
Sic te longa dies memori non eximet æuo
Post cineres: vita est hac ratione mori.

Ductus.

Vos quibus est Phœbi concessum munere, tempus
Dum sinit, eximiis inuigilate bonis.
Languida subrepet tacitè labentibus ætas
Mensibus, ignauis iniiciet q; manum.

Agricius.

Tempora labentis serua distincta diei,
Mox doctis literis (sat puto) cultus eris.
Aurora effundit dona omnia, & omnia ditat

Fausta

Fausta venit studijs mane reuecta dies.
Namq; vbi Sol medio vagus altior astitit orbe,
Et niueos vultus inficit ardor edax,
Tunc onerata graui segnescunt corpora pastu,
Viuacisq; altus mentis hebescit apex:
Tunc & paulatim languor succedit, & ingens
Torpor, & ad viuum tendit, & ossa quatit:
At quandò Hesperio præceps Sol conditur orbe,
Et spargunt totum nubila rara polum:
Corpora fessa iacent, suadentq; cadentia somnũ
Sydera, grata quies præcipitata venit.
Tunc mens oppresso torpet defecta vigore,
Et nimijs tenebris obruta, languet iners.
Deficiunt vigiles mira torpedine sensus,
Inq; cauis domibus lumina fessa cadunt.
Obtundit cerebrum somni violenta potestas:
Vt placido renouet languida membra sinu.
Nam qui consistent diuturno pondere vires,
Nî sit in alterno mixta labore quies?
Si quis nocturnis velit impallescere chartis,
Dixeris hunc mæstos accelerare rogos.
Intempestiui consurgent agmine morbi,
Nec vitæ implebis fata diurna tuæ:
Irrumpentq; graues insomni examine luctus,
Mox etiam rigidum mortis adibis iter,
Et Musas inter turbata mente ferêre
Vt quasi per somnum te vigilasse putes.
Eheu! nos liquidas tristis tulit artus in auras,

Sed

Sed nos dulce sua mane restaurat ope.
Ast Aurora rubro surgens velamine circum,
Spargit in immensum munera quæq; solum.
Hac redeunte celer surge, & mora segnis abesto:
Sæpè dabunt paruæ maxima damna moræ.

Aulaus.

Longa superuacuo noli dare tempora somno,
Venturæ viua est mortis imago sopor.

Posthius.

Assidua vigilans industria iuncta labori,
Agros, opesq; comparat.

Ayala.

Multi anni, studium multũ, vigilantia multa,
Impendenda libris, eximiusq; labor.

Burchius.

Si vigilat constantèr homo, totusq; agit illud
Quo res aduersas anteuenire queat:
Nec nimis in propriâ re prudens, vtitur aptis
Consiliis, cedunt omnia prosperiùs:
Si verò ignauam sepelit væcordia mentem,
Auxiliiq; sibi nescius ipse deest,
Implorabit opem frustrà, auxiliumq; deorum,
Respuit offensi Numinis ira preces.

Borbonius.

Ad ſacram, Pueri, Muſarum tenditis arcem?
Conſilium læta carpite fronte meum.
Apta parũ ſtudijs nox eſt, inimica lucerna eſt,
Noctis opus multis exitiale fuit:
Nocturno ſtudium non eſt damnoſius vllum,
Ingenium obtundit, corpora ſicca facit.
Intempeſtiua eſt ſtudijs nox, commoda lux eſt:
Luce labor bonus eſt, & bona nocte quies.
Pulchra dies operi, nox conuenit alta quieti,
Tam benè diſcreuit tempus vtrumq; Deus.
Surgite ad Auroram, Pueri, gratiſsima Muſis
Hæc eſt, hæc ſtudijs hora dicata bonis.

Lermæus.

Exactã curam nunquã mora tarda ſequuta eſt.

Donquerius.

Otia deuites ſtudijs inimica ſeueris,
Nullus ab ignauo pectore ſurgit honos.
Nulli belligero veniunt ſinè Marte triumphi,
Ardua per durum gloria manat iter.
Aſpera ſaxoſo producit ſemita cliuo
Virtutis celebri munera grata viro.
Omnia Dij vendunt vigili ſua dona labore,
Quælibet hoc finem res moderante capit.

Aduigi-

Camerarius.

Aduigila, prensa, momento occasio constat,
Elapso hoc frustrà quod facis omne facis.

Hessus.

Ieiuna mens consulta rerum est:
Nox sinè iudicio est merumq́.

Nepos.

Fur oculi est somnus inuitans otia, blandum
Pectoris eludit studium, curasq́, fefellit.

Thynophanius.

Quod satis est, dormi: melior vigilantia somno
Doctrina in tepido non iacet alma thoro. (est,

Incerti.

Surge Puer, vigila, canta lege, disce, vel ora,
Sic facies nulla vt sinè fructu transeat hora.

* * *

Qui vult dormire messem dum debet inire,
Quando gelat dirè pro pane videbitur ire.

* * *

Solis ad aspectum debes citò linquere lectum.

Petrarcha.

Nihil Procrastinandum. *Accipe consilium properè, cunctatio namq;*

Lenta

Lenta, fuit ſemper ſubitis inimica periclis.

* * *

Puer inſcie, ſemper
Craſtina pertractans animo præſentia perdes,
Semper ab incerta pendebis ſorte futuri:
Teq́ tuumq́ bonum fugiens, aliena ſequeris;
Siſte age, ſiſte fugam cur non inniteris iſti
Quam datur aſpexiſſe diem, nam poſteà forſan
Non tibi clara venit: facili nigreſcere caſu
Si neſcis, Mors cuncta facit, ſolet illa venire
Improuiſa equidẽ. Cur non modò ſi qua tibi ſtat
Cura tui, quodcunq́ animus per ſæcula differt
Aggrederis?

Billius.

Eſte procùl lacrymæ procùl hinc procùl effuge luc
Tu mihi blãda Venus, tu mihi Bacche veni.(tus
Ad veniam Deus eſt facilis. cum tarda ſenectus
Adueniet, recti Mens mea carpet iter.
Ah miſer! an ſummi quoniam propenſa parẽtis
Ad veniam eſt bonitas, in ſcelus omne ruis?
Nonnè times nè te ſeram implorante ſalutem
Rideat & lacrymas & tua vota Deus?

Borbonius.

Stare decet vigiles homines, ſemperq́ paratos:
Certa dies nobis nulla nec hora datur.

Tempo-

Eucharius.

Temporis omne
Excedit iactura malum.

Stoa.

Velut supremus omnis habetur dies.

Biges.

Nulla dies abeat quin linea ducta supersit;
Non decet ignauum præteriјsse diem.

Apherdianus.

Iuuenta, nullus preterat dies,
Quin ducta semper sit tibi linea:
Vt quondam Apelles factitauit,
Otia desidiosa vitans.

* * *

Tempora labuntur, mora nulla fugacibus annis;
Hora quidem cedit, mensis & alma dies:
Et quod præteriјt nunquã reuocabitur æuum,
Namq́; velut rapidi fluminis vnda fugit:
Post hyemem redeunt iucundi tempora Veris:
Sed tremulos sequitur nulla Iuuenta senes.
Cernimus extinctæ reparari cornua Phæbes,
Sed post occubitum candidus vsq́; redit:
Ast homini nunquam post fatum munera vitæ,
Nec lanugo seni prima redire potest.

Hinc

Hinc tibi virtutes discendæ, & Palladis artes,
Anni dum florent, atq́; iuuenta viget.

* * *

Temporis imprimis ratio tibi debet haberi,
Vt collocetur hoc bené:
Nam quæ præterijt nunquam reuocabitur ætas,
Et nihil abit velociùs.
Vitabis liquido nimis indulgere sopori,
Vitam coles frugalitèr.
Peruigiles nunquam tædebit obire labores,
Virtutibusq́; operam dabis.
Hac siquidem causa sola prodimus in orbem,
Non vt vacemus otio,
Non vt tractemus nugas, lususq́; iocosos,
Non vt litemus luxui:
Sed potius summis celebretur laudibus omni
Vitæ Deus quo tempore.

Thynophanius.

Nulla dies sinè fruge abeat, neq́; transeat hora,
Quin aliquid posis addidicisse boni.
Feceris aut quicquam quod post fecisse iuuabit,
Aut quenquam auxilio iuueris ipse tuo.

Codrus.

Dum datur, ô Iuuenes, discendi copia vobis
Discite, non semper copia talis erit.

Tempore

Pierius.

Tempore per cunctas cum nil præstantiùs oras,
Cum nihil vtiliùs, nil cum pretiosiùs extet,
Dispensatores parcos decet illius esse,
Hac cæli quotquot iucunda vescimur aura.

Posthius.

Cougerat æstiuo ni quis sibi tempore victum,
Esuriet, campus cum niue tectus erit.
Nunc age dum vires tibi sunt, dum læta iuuētus,
Collige, quo possit cana senecta frui.

* * *

Sedula formicæ curas imitare Iuuentus,
Dum florent æui tempora læta tui.
Nè tibi cum pigris sit egendum fortè cicadis,
Dura senectutem quandò grauabit hyems.

Aulæus.

Quæ facienda putas seros nè differ in annos,
Immensas nocuit nectere sæpè moras.

Hospitalius.

Stultum est præsentē cum posses carpere fructū,
In longam differre diem: mora temporis adfert
Difficiles nodos, & dura obstacula sæpè.

Lauterbachius.

Si quid opus facto, multas nè differ in horas
Com-

Commoda non repeti quæ fugit hora poteſt.

Rudingerus.

Nil benè diſtuleris, quod ſit feciſſe neceſsè,
Eſſe vetat longas res peragenda moras.

* * *

Sedula apis flores, formicaq; ſedula ariſtas;
Hæc æſtate, illa at Vere tepente legit.
Sic vbi tempus erit, rebus fac ſedulus inſtes;
Eſt opportuna falce ſecanda ſeges.

Forcatulus.

Seria qui ſemper facienda negotia differs,
Segnis herì atq; hodiè, cras ſtudioſus eris?
Deſine venturas tibi mox promittere luces,
Quæ cupis vt facias, cum potes illa velis.

Andrelinus.

Non reditura volant fugientis gaudia vitæ;
Qui ſapit, ignauos non ſinit ire dies.

Lambinus.

Quo non ſedulitas penetrat? quid cura labori
Iuncta negat? quæ non damna dedêre moræ?
Tolle moras igitur, ceptoq; inſiſte labori,
Dulcis erit palmæ gloria, dulcis honos.

Mergiletus.

Sedulitas nullos fugit indefeſſa labores,

Nil operis seram reijcit inq; diem.

Ellingerus.

Præcipiti velut ipsa volans occasio cursu
Destituit lentos commoditate sua:
Sic vbi res poscit, poscunt tempusq; locusq;,
Res age: dant paruæ maxima damna moræ.

Reusnerus.

Cunctantes Mars odit, Apolloq; magna gerēdi
Præcipita tempus, magnus vt esse queas.
Nam mora damnosa est; totis incumbere rebus
Præstat, & admisso subdere calcar equo.

* * *

Carius argento est tempus, pretiosius auro:
Amplius haud redimi, quod perit, ære potest.
Labitur occultè, ceu mollis & effluit vnda,
Quam semel elapsam non reuocare potes.
Tempore dum licet, vtendum: fugit ocius amne
Hora breuis: nec quæ præterit hora redit.

Lasius.

Incipe nec cunctatrices rem differ in horas,
Pars est totius maxima principium.
Emendare tuos mores, quid tempora differs?
Si non sis hodiè cras minus aptus eris.

TITV-



TITVLVS V.

De laboris commodis.

Aulæus.

Parta labore volat vastũ bona fama per orbẽ,
Nec timet aduersæ tristia damna rotæ.

* * *

Has tibi diuitias studio atq; labore parabis;
Tollere quas nequeat furis auara manus.

Torrentius.

Adsueta duris vita laboribus
Nullum relinquit flagitio locum.
Nil turpe, quamdiu prisca seruat
Simplicitas animi pudorem.

Iunius.

Crescunt egeno sæpe opes qui sedulo
Partis labore, haud sordida parcit via.
Pusilla iunge, surget ingens hinc strues:
Dîs largiatur affatim, tenet tamen.

* * *

Gloria continuos nunquam moritura labores
Sequitur, virensq́; in ore viuit perpetim.

* * *

Gloria debetur studijs, atq́; assecla merces,
Concordesq́; animos candor vbiq́; decet.

Sambucus.

Et vigili & forti cedet victoria laudem,
Quæ placidis semper moribus æqua venit.

Reusnerus.

Fælicitatis Mater est Industria,
Laborq́; Gloriæ Pater.
Si nescis; hoc Amalthea cornu docet,
Plenum beata copia.
Cornu bouis laborem signat asperum.
Nam bos laboriosus est.
Lætam bonorum pollicentur copiam
Fructus, quibus cornu scatet.
Nimirum hoc olim victor abstulit Hercules,
Pomis repletum Naïadum,
Et floribus : magni laboris præmium
Acheloium truncans caput.
Fortuna pro quo nunc hoc & genius bonus,
Vtrinq́; cornu sustinent.
Qui sedulò laborant his ambo fauent;
Cornuq́; donant copiæ.

Fil

* * *

Fit melior fit lympidior fons sæpiùs haustus,
Purgatus dulces eiaculatur aquas.
Æra nitent vſu: ſplendeſcunt cote metalla.
Ceù ſplendet crebra vomer adactus humo.
Sic labor ingenium, mentem ſic excolit vſus,
Sic mores ſtudio conuenientèr eunt.
Tetra ſed ingenium corrumpunt otia doctum,
Ceu capiunt vitium, nî moueantur, aquæ.
Ceu poſitum lædit rubigo ſcabra metallum,
Corruptuſq; perit vomer inerte ſitu.
Qui ſapit exercet ſtudium, perceperit artem
Quamlibet. Ingenium cura, laborq; iuuat.

* * *

Venatrix laudum virtus: venator honoris
Est labor: ad cælum monstrat vterq; viam.

* * *

Si cui fama placet, ſi laus, ſi gloria, virtus
Est opus, et conſtans ſedulitate labor.
Nam ſocius labor eſt caſus virtutis in omnes,
Illa bonæ famæ Mater, & hic Pater eſt.
Sunt comites vtriuſq; quies, Fortuna, Voluptas,
Quæq; domū ſeruat, quum venit, alma Salus.

Petrarcha.

Stat iuncta labori
Gloria, languentem ſpernens operoſa ſoporem
Deſpicienſq; minas.

Scili.

Duetus.

Scilicet exacti dulce est meminisse laboris,
Otia cum vacuo pectore tutus agas.
Hoc facit in sera Patres ætate disertos,
Vocis et expertes, voce valere facit.

Schellenbergius.

Nempè capit dignum sudans industria fructũ,
Et labor altrices improbus auget opes.

Erytroxenus.

Sunt sua sydereæ virtuti præmia certa,
Et merita nescit laude carere labor.

VVagnerus.

Quicunq; infractus superat genus omne laborũ,
Magna coronatus præmia victor habet.

Regnerus.

Sollertia roborat artes,
Ars omnis vigili sedulitate viget.
Multor euexit studiosa industria, multos
Illa eadem claros reddidit & celebres.

Stoa.

Labor supremus reddit ingenium sagax.

TITVLVS VI.

Parænesis ad Iuuentutem, vt in bonis artibus addiscendis otia vitet, & diligenter laboret.

Apherdianus.

Vt sacrum scandas Helicona pubes,
Et tuo nectant capiti coronam
Lauream Musæ, rigidos subire
Perge labores.
Nunc tibi vernat puerilis ætas,
Excolas mentem studijs honestis.
Labitur tempus citò, nec redibit
Quæ fugit hora.
Impiger sudor precium bonarum
Artium: nobis nihil improbus non
Efficit tandem labor, ergò Musis
Inuigilato.

In studijs diligētèr laborandum.

Eccè

Eccè mercator vagus hùc & illùc
Currit, vt nummis loculos dolosis
Turgidos reddat, tumidæ procellas
Negligit vndæ.

Martius miles stipe se cruento
Obijcit letho. patiens acerbi
Frigoris; nullo retinetur æstu
Solis acuti.

Rustici vertunt rigido frequentèr
Ferro agros, glebas minuunt inertes,
Alma quo tellus segetes refundat
Culta feraces.

Flosculos paruæ resono coruscos
Ore apes circùm volitant legentes
Mella certatìm: nihil has laboris
Tædet adire.

Hoc modo semper facias Iuuentus,
Cum dies surgit, refugitq́; doctos
Perlegas libros, nitidisq́; mentem
Moribus ornes:

Hinc tibi nomen veniet perenne,
Clarior Paulis eris & duobus,
Roma quos iactat, tua laus ad alta
Sydera surget.

Herculem duri celebrant labores
Quod Cleonæum domuit leonem,
Atq́; Lernæam face vicit hydram,
Notaq́; monstra.

Cum

Cum molam Plautus traheret, ſuaues
Fabulas ſcripſit, virides egenus
Hortulos paruo pretio rigauit
Nocte Cleanthes,
Poſſet vt tanto meliùs diurnis
Horulis Phœbi ſtudijs vacare,
Hinc vocabatur meritò Phreanthes
Hauſtor aquarum.
Quid ſophos fecit Stragyræus? altum
Rupit elapſa manibus ſoporem
Plumbea ſphæra in reſonans ahenum
Nocte profunda.
Ethnicos tales referunt fuiſſe
Scripta Doctorum: modò Chriſtiana
Pro Dei quid non facies honore
Quæſo Iuuentus.
Non opes fluxas tibi comparabis,
Sed ſequuturas etiam micantis
Ad poli ſedes animam volantem
Poſt tua fata.
His Midæ cedit Phrygij ſupellex,
His opes Crœſi, his radians arenâ
Hermus auratâ, Tagus atq; opacus
Quod vomit aurum.
Hinc velim duros ſubeas labores,
Et moram tollas, nocet hæc paratis
Semper: ad doctos properes libellos
Candida pubes.

Otia vitanda.

Otium pestis grauis est Auerno
Orta, quæ cunctis nocet: & cruentas
Ingerit clades, iuuenum, senumque
Pectora cæcat.

Castra subuertit, validasque turres,
Splendidas ædes, populos & vrbes
Opprimit: Reges tumidos, Ducesque
Sæpè trucidat.

Namque virtutes abigit, nefandum
Et docet quoduis facinus patrare:
Non sinit recta ratione quenquam
Ducere vitam.

Impia quod se Venere inquinauit
Musicus Dauid, homicidiumque
Fecit, in causa fuit otiosa
Mens mala suadens.

Se pyra mollis rapida cremasset,
Atque opes nunquam, benè si fuisset,
Principem vt verum decet, occupatus
Sardanapalus.

Hinc Patres quondam voluisse constat
Hanc luem statim teneris ab annis
Filijs certis studijs subactam,
Non metuendam.

Sparta testatur vetus hoc Lycurgi
Legibus sanctis, quibus insolentes
Compulit duros Iuuenes subire
Sæpè labores.

Et Gelon, crebrò Siculam Iuuentam
Quem ferunt duxiſſe ad agros colendos,
Otium quo illi fugerent, & aruum
Lætius eſſet.
Scipio nunquam minus otioſus
Viſus eſt, quam cum fuit otioſus.
Eius exemplo generoſa pubes
Otia vites.



PARS TERTIA.

De sermone, & loquendi ratione.

TITVLVS I.

Quid sermo.

Iunius.

SErmo index animi, de Numine sentit apertè
Cor cæco operculo intus arcanum tegit.

Reusnerus.

Scilicet eloquio Sapientia iuncta potenti
Cuncta regit, cælum quæ tenet, atq; solum.
Præualet hæc opibus Regũ, clarisq; triumphis,
Et si quid magnus clariùs orbis habet.

Sermo

Gloterus.

Sermo hominum quæ sit mẽtis declarat imago,
Quid lateat tacito pectore scripta docent.

Schellenbergius.

Sermo refert mores, animus sic proditur ore,
Tinnula dissultans prodit vt æra sonus.

Aulæus.

Sermo nota ingenij est, quæ quis sua concipit in-
Pectora, sæpè alijs indice voce refert. (trà

Sconæus.


Esse solet sermo mentis certissimus index,
Et vitium nescit dissimulare suum.
Arguit impuros petulans oratio mores,
Nec tacito quicquam corde latere sinit.

Palingenius.

Index est animi sermo, morumq́; fidelis
Haud dubiè testis: quoniam quisq́; illa libentèr
Et crebrò loquitur quibus oblectatur. Arator
De bobus, rastris, de vomere. Nauita narrat
De velis, remis, de restibus, atq́; carinis,
Miles equos memorat, gladios, hastilia, pugnas,
Sic obscæni homines, plerunq́; obscæna loquun-
tur.

Apherdianus.

Sermo notat mores, & quæ quis dicere sueuit
Est in confesso quod facit ista lubens.



TITVLVS II.

De vero, falso, vel nimio sermone.

Erasmus.

Veritatis sueuit esse oratio
De vero & falso sermone. *Simplex, vafris nec esse egens ambagibus*
Interpretum, siquidem ipsa per se congruit:
At sermo iniquus, quia per se sit morbidus,
Medicamenta exquisita deposcit sibi.

Langius.

Acria mellitis semper medicamina præstant,
Vera magis prodest quam speciosa loqui.
Commodus admonitor fert plurima comoda se-
Assentatorum pestis amica nocet. (cum,

* * *

Non aliud cura vitium maiore cauebis,

Quam

Quam ficto quicquam pectore proloquier.

Lorichius.

Luna deuincit Iubar vt minorum
Ignium pernox, ita veritatis
Claritas præstat potiore cunctis
Omine rebus.

Sluperius.

Verba pudica decent Iuuenes, tenerasq́ puellas,
Cum senibusq́ viros verba pudica decent.
Casta decet castos, & honesta probantur honestis
Esse nihil spurco fœdius ore potest.

Chytræus.

Mente aliud voluens, aliud tamen ore doloso
Qui loquitur, nulli fidus amicus erit.

* * *

Rectius est grauiter ficto sub nomine vera,
Quam leuiter vero nomine falsa loqui.

Palingenius.

Est mentis ratione carentis De nim. sermo.
Indicium sermo nimius, peccatq́ frequenter
Multiloquus, verum parcè, cauteq́ loquentes
Laudantur: decus est ingens prudentis in ore.

Erasmus.

Qui multa temere verba fudit, is solet

Au-

Audire nolens, quæ volens dixit malè.

* * *

Quicunq; gaudet continentèr proloqui,
Is se grauem esse, quotquot adsunt, non vident.

* * *


Nec durus vlli emissus è manu lapis,
Neq; sermo lingua, facilè compesci valet.

* * *

Caue nè quisquam de te dixerit,
Nihil valebat eloquendi viribus,
Verùm silendi habebat impotentiam.

Decimator.

Ridetur chorda qui semper oberrat eadem
Nil cuculi toties vox repetita placet.
Sæpiùs assumptus stomacho fit nausea tandē,
Inter, diuerso non, veniente, cibus.



TITVLVS III.

Parcè, cautè, & prudenter, loquendum.

Quod

Aulæus.

Quod ſemel emittis, nunquam reuocabile verbum eſt,
Cur, vbi, cui, quando, quiduè loquare, vide.

Palingenius.

Heus tu ſiue rogas aliquem, ſeu fortè roganti
Reſponſurus eris, prius ipſam conſule mentem
Quam vox exiliat: quæ poſtquã eſt edita retrò
Haud remeare poteſt. Verbum ſemel ore ſoluto
Emiſſum longè, nequit ad ſua clauſtra reuerti.

Burchius.

Vir pietatis amans, fœdum nil promit ab ore,
Sed tanquam ſcopulum fugitat ſcurrilia dicta,
Atq; audire eadem vitat cane peiùs & angue.
Non etenim quidquã vitam moreſq; loquentis,
Dedecorat magè, quã petulans obſcænaq; lingua.
Nam ſi de verbis ratio accurata iocoſis
Et temerè effuſis, maior reddenda profectò
De turpi ſermone pias qui perculit aures.

Iunius.

Aure concipit, parit
Muſtela fætum poſteà in lucem ore.
Aure dicta concipe,
Diu at recocta parciùs prome ore.

Meyerus.

Arcanum maiore fide, pretiosa supellex
Quam tibi seruetur, quam tibi sardus, onyx.

Læsius.

Nè quod, si sapias, improuida lingua susurret:
Ante acri expensum non tibi iudicio:
Quod semel effluxit manet irreuocabile verbũ
Nec mutare queas post modo si cupias,

Thynophanius.

Sermo breuis tibi sit, quoniã qui multa loquun-
Sæpius in vitium per sua verba ruunt. (tur

Dedekindus.

Cautè. *Qui sua prudenter vitari incommoda nouit,*
Quidq; sibi prosit, qui videt, ille sapit.
Sæpè suas qui diuitias iactauit, iniquo
Factus raptori præda pudenda fuit.
Ast in delitijs, & tuta pace quieuit
Qui benè quas habuit dissimulauit opes.

Morualensis

Quæ reticescere, quæ quibus edere, cur, vbi,
quando. (do.
Prosit, oporteat, haud malè torpeat in meditã-

Non

Decimator.

Non calidum paribus profert ac frigida buccis, Pruden-ter.
Vt solet implexis noxia turba dolis;
Intima quæ cordis penetralia cuiq́; volutant
Expediens, fuci nescia lingua sonat.

Pierius.

Cũ loqueris seruato modũ, linguamq́; gubernes,
Causa nimis magni quæ solet esse mali.

Borbonius.

Multa opportunè qui nouit dicere felix;
Felix qui nouit multa silere loco.
Ille sapit qui scit non diuulganda silere:
Ille sapit, qui scit dicere multa loco.

Porsius.

Temperet interdum laudata silentia sermo;
Est reticere decus, dicere & apta decus.

Stoa.

Præcogitata semper eueniunt probè.

Iunius.

Naturæ imperium binas mortalibus aures,
Linguam vnã, plectrũ molle procaxq́; dedit;
Plus audire minus verborum fundere, solers

Edocuit: noxam non timet os tacitum.
Exemplo mustela monet, quæ concipit aure
Fœtum, maturum serius ore parit.
Concoquito auditas voces, intusq́; putrescant,
Ne lingua has nimium prodiga præcipitet.

Incerti.

Nec nimiũ taceas, nec verba superflua fundas,
Sed medium teneas, vt benè tutus eas.

* * *

Vox audita perit sed littera scripta manebit,
Et semel emissum non est reuocabile verbum.

* * *

Qui scit frenare linguam, sensusq́; domare;
Fortior est celebres quã frangẽs viribus vrbes.

* * *

Cerui cauda breuis malè celat posteriora:
Stulti lingua leuis peiùs tegit interiora.

* * *

Fac benè dic parum, si te vis reddere charum,
Fac malè, dic multum, si te vis reddere stultum.

* * *

Pauca loqui, sua verba coqui vult prouidus; ô
Talibus assuescit semper cũ laude quiescit! (qui

* * *

Sic linguam frena rectæ rationis habena
Nè te confundat, si verba superflua fundat.

* * *

Qui bene vult fari, bene debet præmeditari;
Principium verbi; finem quoq́; respice verbi.

* * *

Ex verbis fatuos, ex aure probamus asellos.

* * *

In niuibus lepores, in verbis quære lepores.

* * *

Stringe tuā linguam, ne mentē reddat iniquā,
Linguam frænare plus est quam castra domare.

* * *

Si cupias pacem, linguam compesce loquacem.

* * *

Quæ, quid, vbi dicas, cui, cur, & quādo requiras

* * *

Dico prudentes homines, non multa loquentes.

* * *

Fons est & vena, vitæ dulcedine plena,
Lingua viri docti, quæ se rationis habena
Dirigit, & vitæ cælestis gustat amæna.

* * *

Sermo tuus gratus sit, verax, præmeditatus,
Clarè firmatus, feruens, bonus, & moderatus
Vtilis, ornatus, sit congruus atq́; beatus,
Non tamen elatus sit, non vnquam sceleratus.

* * *

Estote breuiloqui, nè vos ad reatum
Protrahat loquacitas, nutrix vanitatum:
Verbum quod loquimini sit abbreuiatum:
Nam in multiloquio non deest peccatum.

TITV-

TITVLVS IV.

Lingua coercenda.

Billius.

Conticuisse nocet nunquam, nocet esse loquutũ,
Linguam ergo imperio sedulus vsq; tene.
Lingua parẽs mediæ scelerũ est certissima partis
Hac domita media crimina parte ruunt.
Vtq; suum sensim perdunt hipocausta calorem,
Nî studeas clausas semper habere fores:
Sic quoq; quam par sit si sæpius ora recludas,
Paulatim è medio pectore feruor abit.

Chytræus.

Sunt aures, oculiq; duo, naresq; manusq;
Sunt geminæ, biniq; pedes in corpore nostro:
Sed tantum lingua vna, licet compluribus illa
Seruiat officijs, binorum singula cum sint
Munera mẽbrorũ. Quid quod circundata vallo
Lingua latet gemino labiorũ & dẽtium, Vt ipso
Hoc positu linguæ admoniti, vitemus abusum
ling-

Linguæ alias facilẽ, quod fit cũ multa videmus,
Audimus multa, atq; animo perpendimus acri:
Sed loquimur pauca, & benè præmeditata, diuq;
Mentibus & nostris atq; imo consona cordi,
Grata futura deo, multisq; salubria, nulli (est.
Noxia; nã pariter res pessima & optima lingua
Optima; si quis ea iusta ratione, modoq;
Vtatur freno iniecto: sed pessima; si quis
Abiecto planè freno, illa malit abuti (ruinam.
Opprobrium in Domini, & fratrum, propriamq;
Est satius mutum esse, loqui quã verba nefãda.
Exitus effrenis lingua est ærumna, laborque.

Sprengius.

Effrenem clades sequitur certissima linguam;
Qui sapit, is digito pressa labella domet.

Meijerus,

Linguam contineas, effert quia sæpe tacenda,
Atq; vna trahitur voce perenne malum.

* * *

Si Veneri moderaris, & ipsam subijce linguam,
Quo sine libertas altera nulla foret.

Apherdianus.

Aures dedit rerum parens
Natura binas, vnicum
Os: plurimum quo nos monet

Vt

Vt audiamus, & parum
Loquamur: inclusit quoq́;
Linguam duabus sepibus,
Ne proferas temerè omnia,
Sed ponderes tecum prius
Dicenda quæ sunt. Obfuit
Tacuisse rarò, sed loquax
Persæpè conciliat sibi
Malum, imò mortem. Maxima
Laus est, loqui benè: non minor
Tacere. verborum hinc caue
Ne proloquâre plus Puer
Quam postulat necessitas.
Vt æra tinnitus probat,
Sic verba produnt pectora:
Ita namq́; habentur vt sonant.
Incontinentis quod fuit
Thersites linguæ, regio
Ab Vlysse sceptro cæsus est.
Quod Tantalus Pelopis pater
In aquis aquas quærens, siti
Torquetur, hoc temeraria
Illi dedit loquacitas.

Andrelinus.

Garrula dentato frenanda est aggere lingua.

Duetus.

Principio linguæ plectrum compescito frenis

Ne

Ne mala vipereo lurida felle sonet.
Labra suis omni studio concludite septis,
Ne pateant vllis fortè parata dolis.
Nulla manus scelerum maculēt cōtagia vestras,
Pura bonum contrà mens meditetur opus.
Quærite perpetuò sinceræ commoda pacis,
Cura sit hæc vobis continuusq́; labor.

Badius.

Vis sapiens dici? Digito compesce labellum.
Viuere vis insons? Os bene claude tuum.



TITVLVS V.

Parænesis de Affabilitate, veritate, & comitate, vitijsque repugnantibus.

Ales.

N*unc Affabilitas quid sit cantare iuuabit,*
Quæ virtus hominis vitam condire videtur:

Circà congressus hominum consistit amœnos,
Ac tristes: nec Amore quidē affectuuè mouetur
Hoc ab amicitia distat, quæ fertur Amore.
Hæc Affabilitas verbis quæ constat amœnis,
Imparibus paribusq; datur, nec suscipit vllos
Delectus hominum. quandòq; Affabilis omnes
Conuiuas recreat: mæstum plerunq; dolorem
Excitat, atq; procul, quæ sunt taxanda repellit,
Et damnat, iusto demum veroq; mouetur.
At delectandi studio quicunq; redundat,
Nil aliud quærens, Placidus censebitur esse.
Quod si lucra petat risu dicteria iactans,
Quæq; facit conuiua, probet, solumq; placere
Ob quæstum studeat, meritò Vitiosus haberi
Debet adulator: verum si cuncta molestè
Quis ferat, ac nullis placeat, Rigidusq; vocetur
Difficilisque nimis: namquè aspera iurgia nutrit.
Quæ sit proprietas nunc nunc Affabilis audi.
Omnibus, vt ratio monuit, conuiuere temtat,
Accipit à doctis quæ sunt coniuncta decoro,
Æqualiquè loco positos hortatur: at illi,
Quē videt infrà se, lætus documēta ministrat.
Sanctos suppeditat mores: conuiuit honesti
Vtilis aut causa monitus: recludit apertè
Is virtutis iter: quæuis peccata retundit.
Quod si conuictor fœdum quid fortè loquatur,
Aut

Aut faciat, ſubitò taxare Affabilis audet,
Vt queat à vitio turpi reuocare labantem.
Eligit interdum mæſtos afferre dolores,
Quod tamen haud cupiet cuiquam ingeſsiſse moleſtè,
Nî plus indè boni tandem ſuccedere credat:
Qualis iuſta feret prauæ correctio vitæ.
Chriſtus diſcipulos olim docuiſſe labantes
Dicitur, ac pariter vitam monſtraſſe beatam.
Circa lætitias hominum congreſſibus aptas,
Atque voluptates verſari Affabilis idem
Aſſolet, idq́; magis, quã circà quoſquè dolores:
Nam circà melius Virtus conſiſtere gaudet.
Huic at adulator dira & contentio ſemper
Obſiſtit, ſed enim grauius contentio pugnat.
Hanc ſi virtutem cupias tetigiſſe ſerenam,
Quæ modo ſubijciam debes præcepta tenere.
Omnibus in rebus ſi vis Affabilis eſſe
Fac affabiliter mortalem quemq́; ſalutes?
Nullos ſubſannes, ſi ſit Prudentia tecum,
Vita incompoſitos riſus: pauciſſima fare:
Nè dicàre loquox, dum vis Affabilis eſſe.
Sis, quam verba loqui, reſerare paratior aurẽ,
Quæ bona ſunt retine: celebrem, famamq́; bonorum
Denigrare caue: qui te ſit doctior audi.
Quinetiam doctus rudibus prodeſſe labora:
Quodq́; placet, prodeſtq́; alijs, expone libenter,

Ne

Ne ſis vaniloquus; pariter res verba ſequātur.
Si te muneribus quiſquam donauerit, effer.
At quæ tu dederis, coram iactare caueto,
Ne iactatoris valeas incurrere nomen.

* * *

De veritate vitijs que contrarijs.

Cuius vbiq; ſolet ſermo recludere mentem,
Et qui quod latitat proprio ſub pectore prodit,
Nil fingens, & vana ſimul mendacia vitat,
Dicitur is Verax, hominiq; probabilis omni.
Antè tamen quam quis tali virtute niteſcat,
Læta ſubeſſe comes debet Prudentia rerum:
Rebus verba quadrēt, quæ morū recta miniſtret
Aſſuetudo frequens: ſi fur ſua furta reuelet,
Rebus ab illicitis aut ſi non temperet vllis,
Idq; palam referat, verax non protinus eſſe
Dicetur, quoniam nulla virtute mouetur:
At ſi quis ſimulet, quam ſint, maiora, ſimulq;
Falſis exultet, lucrumue affectet auarum,
Gloria vel leuior plumis, aſperſaq; fuco
Solum pelliciat, quali pleriq; cientur:
Vt ſi confingat claro ſe ſanguine cretum,
Aut vt honoretur, ſe dictitet eſſe Peritum,
Aut lucra conſectans dicto lætetur inani,
Is Iactator erit ſancto ſpernendus ab omni.
At qui diſsimulat quæ ſint notiſsima ſenſu,
Paruaue, delicijs tantum peccaſſe feratur.
Verax in factis potiùs conſiſtere debet
Quā ſermone, licet vix vnquam falſa profetur

Atta-

Attamen interdum Verax mendacia dicet,
Si nullis noceant, & plurima lucra reportent:
Insanum Dauid nam se simulasse putatur:
Nonnè Rhaab meretrix Hebræis profuit olim?
Liberat Hebræos fato mendacia dicens,
Occultum socij crimen ne detegat ille,
Qui cupiet fieri verax, fidusq; vocari:
Virtutemnè queas tantā cōquirere? Quidnî?
Sis igitur Verax, vitæ conformia verba
Sola feras: vigili studio mendacia vites,
Alterius pariter nolis incumbere famæ.
Dedecet alterius proprias inuadere laudes.
De te nil finges, nec te laudabis apertè:
Nec nimis extolles: id agit iactator inanis.
Nunquam dissimula, nec te culpare memento.
Si verum noceat, retice quandoq; libenter;
In dictis, rebusq; tuis remanebit honestas.

* * *

Non operi iustum mentes intendere semper: De comitate, vitijsque repugnātibus.
Quin animū potius quandoq; remittere nobis
Prodest, alterna requie subtilior exit,
Assiduè tendas arcum, mollescet, & omne
Deficiet robur: quod si laxaueris, addet
Vim tranquilla quies: hominū sic mentibus ipsis
Contingit, donec fuerint sub corpore mersæ:
Nemo quippè potest operi se accingere semper,
Quod tenero minui vires in corpore constet:
Est igitur menti præbenda remissio quædam.

Exhi-

Exhibet hanc comis virtus celebrata probatis,
Cui placet in verbis medium retinere iocosis.
Vtitur ipsa iocis, nunquam declinat ab æquo.
Attamen id demum Comis narrabit amæni,
Quod mæstis animis prosit, fessisq́ labore.
Hoc qui præstiterit, Dexter, lætusq́ vocetur.
Nam qui ridiculis homines, & scōmate stringit
Assiduè quosuis, nec seruat tempora, nec res,
Nec personarum rationem curat, ineptus
Nomine ritè suo dicetur Scurra, vagusq́:
Sacrum sæpè solet verbum miscere prophanis,
Vt possit risus hominum captare iocosos.
At miser ille Dei deridit verba supremi.
Dignum supplicio quis non dijudicet acri?
Quid iocùlans sacros audes miscere prophanis
Sermones Domini, quē laudāt agmina Diuum,
Assiduèq́ colunt, qui nutu cuncta gubernat?
At quicunq́ sales quosuis reprobare videtur,
Nilq́ iocis tribuit, neq́ profert vlla iocosa,
Exigat illa licet tempus, censetur Agrestis,
Rusticitate quidem regitur, nec credit amæna
Verba licere loqui, sed fallit opinio mentem:
Nam miscere queas interdum gaudia curis.
At Comis salibus caueat vilere proteruis,
Et qui contineant secum turpissima quæq́.
Si locus et tempus poscat, personaque, resq́,
Tum demum poterit, quæ sunt efferre iocosa
Comis homo. Liceat mihi nunc præcepta referre
Quæ

Quæ comis validas poſsint exponere vires.
Viue pius, dexterq́ tuam quandoque iocoſis
Defeſſus recrea mentem: ſint verba pudica:
Ipſe faue reliquis; multum prodeſſe labora.
Sitque locus, tempuſquè ſimul, perſonaq;, reſq;
Dictis conueniens; quæuis obſcura repelle:
Alea ſitque procul: molles contemne choræas.
Turpia ſi qua vides ſubitò dicteria vita.
Non ſcurræ placeāt, balathro, nō histrio vanus.
Abijce ridiculum, ne quenquā ſcommate lædas.
Hæc ſi perficias Comis, lætuſque manebis.

PARS



PARS QVARTA. DE Virtute, & Sapientiâ.

TITVLVS I.

Ad Virtutem exhortatio.

Rogerius.

QVid iuuat agrestes homines incũbere nũmis
Fortunæ & tanquam bulla tumere bonis?
Quid spurcis Paphiæ illecebris, formæq́; vacare
Si venit incerto mors inopina pede.
Et sternit iaculo nullo discrimine Reges
Ac inopes, meritò cæca vocanda viris.
Aurum, stemmata, opes, & formæ gloria, flocci
Illi sunt, homine & cum pereunte cadunt.

Sola

Sola hominē sequitur viuax post funera vir-
Sola igitur felix, sola colenda venit. (tus,

Crinitus.

Virtute nil feliciùs,
Nil clarius Sol aspicit:
Auite, Musarum decus.
Incumbe, quod facis, & gradum
Virtutis erectum tene:
Nec te labores anxij
Ab instituto flexerint.
Absolue totis viribus
Quod inchoatum duxeras.
Haud ille præstat cæteris,
Qui congerendis nummulis
Impallet, argento incubans.
Virtus repulsam despicit,
Ridetq; vanos ambitus:
Non fluctuat vento leui,
Nec pallet ignauo metu:
Vanamq; sortis aleam
Audax inertem nuncupat.
Vbiq; virtus imperat
Suis decora fascibus:
Et acriter seruat gradum,
Immota cunctis casibus,
Nè fastus occupet grauis,
Aut luxus incidat impudens.

Vir-

Virtus honestat purpuram,
Fiuntq́ veri consules:
Verumq́ nomen perferunt,
Vbi illa successit comes.
Non consul auro & purpura
Sed consulendo præcipit:
Rectèq́ patriam regens.
Inane nomen & decus,
Vanum est habendum protinùs
Se purpuratum vendere;
Ni virtus amplior prius
Circumstet ipsos Principes.
Ille est beatus omnium
Cui virtus adfuit comes.

Hecquetius.

Si tibi sit gustu radix Virtutis amarus,
Nèspue, pòst gratus plus tibi fructus erit.

Billius.

Quisquis ad excelsi peruenit culmina montis,
Iam cuncta ex alto vertice parua putat.
Sic quoq́ virtutis tetigit qui culmina, parui
Iam pretij quicquid cernit in orbe, putat
Visnè igitur vilis mundus, mundiq́ voluptas
Sit tibi? vis mundi sit procul omnis Amor:
Ante oculos tibi pone Deum, sedesq́ beatas,
Sic mundi subitò fracta cupido ruet.

Quas

Duetus.

Quas & opes curas habeant, & regna potẽtum,
Edocui: populi quamq; sit aura leuis.
Discutit has animi virtus generosa tenebras,
Et, bona quæ verè sunt reputanda docet.
Pauperiem præfert opibus: contemnit honores,
Quos facili populus datq; rapitq; manu.
Despicit exilium, vulgi ludibria ridet,
Irrita Fortunæ tela ferendo facit.

Schellenbergius.

Est aliquid nasci generosæ ab origine gentis,
Et vetus à claro ducere patre genus.
Sunt & opes aliquid natis a patre relictæ,
Et bona Marte suo parta, sed absq; dolo:
Stemmate sed potior virtus, & dona probati
Pectoris, exteruis sunt meliora bonis.

Meijerus.

Omnia conspicimus tandem consumpta perire,
Virtus exitij nescia sola manet.

* * *

Indefessus iter virtutis perfice: rebus
Est animæ cunctis anteferenda salus.

VVenigerus.

Non inhiat somnis, sed tendit in ardua virtus,

Euehit ignauos gloria nulla viros.

Incertus.

Hoc demum virtutis opus mentiśq; probatæ,
Cum locus est vitio, vitijs non soluere habenas:
Præsertim medio dum floret vere iuuenta,
Quæ facilè in præceps affectibus incita fertur.

Reysmannus.

Quærite virtutes, vitijs indicite bellum,
Vt benè speratam liceat comprendere vitam.

Mediolanensis.

Libera perpetuò præsto est possessio virtus,
Nullaq; cum mundi fœdera rebus habet.

Incertus.

Dilige virtutem, si vis retinere salutem.

TITVLVS II.

Virtutis encomium.

Sola

Bellaius.

Sola virum virtus cæli super ardua tollit,
Virtutem cælo solaq; Musa beat.

Buchananus.

Nec si mutarit tempus cum corpore formam,
In vitium virtus degenerare potest.
Sola manet patiens æui, securaq; damni,
Nec metuit longas temporis vna moras.

Borbonius.

Nemo opibus felix, nam rerum copia tandem
Quamuis assiduo parta labore perit.
Perduntur senio vires, & gratia formæ
Effluit, et morbi membra dolore premunt.
Vix benè momento manet illecebrosa voluptas,
Et fugiens stabilem nescit habere gradum.
Inclyta sed virtus animum perfectiùs ornat,
Perstat, & auferri, mente reposta nequit.
Virtus est senij ignara, & post fata superstes
Durat, & ad cælum præuia pandit iter:
Nempè Dei donum virtus: felicitat vna:
Post cineres Virtus viuere sola facit.

Politianus.

Namq; licet virtus semet contenta quiescat,
Sola tamen iustos virtus asciuisit honores,

Solaq́; se meritò laudum fulgore coronat.

Mantuanus.

Pyramides Nyli, Pharos insula, Iuppiter Ammō
Mausoli, & Triuiæ marmora celsa Deæ.
Regna Semiramidis, Romana palatia iunge,
Si placet, & Solymi templa superba Dei.
Talia simplicitas hominum miracula dixit,
Quæ nisi terrenas nil speculatur opes.
Hæc lapidum moles cælataq́; saxa fuère,
Quæ grauis eximia fecerat arte labor.
Longa dies marmor solidum contriuit & æra,
Tempus enim dura singula fauce terit.
Maius opus virtus, quam nec dissoluere possūt
Tempora, nec rauco murmura pulsa sono.

* * *

Plurima virtuti laus hîc, at præmia nulla,
Nam Deus illius præmia solus habet.

Reusnerus.

Sol oculus cæli radijs illuminat orbem;
Et Phœbe noctem disijcit alba nigram.
Sol animi virtus, sensus illuminat agros,
Et tenebras mentis discutit alma fides.
Si menti virtus, virtuti præuia lucet
Pura fides, nihil hoc clariùs esse potest.

* * *

Est aliquid longa censeri laude suorum,

Et

Et claris ortum patribus esse domi.
Sed generis laus est tutissima: moribus vt sis
Nobilis, & vera simplicitate bonus.
Nam si cui generis laus est in origine sola,
Mox perit omnis in hoc nobilitatis honos.
Quod si quis vitijs tantum sit nobilis, ille
Immeritò titulum nobilitatis habet. (pe,
Nam quid habet cæcus tandē commune, Philip-
Cum speculo? nunquid se videt ipse magis?
Turpe equidem si nobilitat modo, crimina vitæ
Nobilitat; virtus nobilitate prior.

Porcaria.

Excitat interdum vires timor, omnia virtus
Audet, & a nullo confunditur ardua casu.

Euangelista.

Non regno splendor, verum virtute paratur,
Fortuna in tenebris regia sæpe latet.
Enitet at Virtus semper, semperq́; refulget,
Lucidus vt radijs semper Apollo micat.
Quanquam si prima numeres ab origine mundi
Tempora, quiq́; omnes præteriêre dies,
Degenerē quondam, obscuramq́; fuisse videbis,
Quæ nunc imperijs clara propago nitet.
At, quæ nunc humilis, tenebrisq́; offusa videtur
Fortè habuit magnos imperiosa Duces.
In quacunq́; igitur commistos stirpe notabis

Agri-

Agricolis Reges, Regibus agricolas.
Magna est nobilitas virtus sua cuiq; parentum
Gloria in obscura posteritate latet.

Colotius.

Nulla est Virtute terra aliena suæ.

Tydichius.

Pereunt cum stemmate nomen,
Laus, honor, Imperiū, iacet & sinè nomine trun-
Ipsa autem virtus, rutilo pretiosior auro, (cus.
Viq;, doloq; truces fugiens post busta furores,
Nescit ad interitum quamuis cōmota tremēdū
Iungier, at famam viuaci laude perennem
Obtinet, inq; dies nunquam moribunda perēnes
Regnat, & illustrat cultorem diuite cælo.

Stopius.

Est virtute datum nil maius maximo in orbe,
Quē penes illa viget, sunt bona cuncta simul.
Atq; auro cum sit longè pretiosior omni,
Non est terrenis æquiparanda bonis.
Ex virtute fluit quicquid laudabile in orbe est
Cui fauet hæc, alijs non eget ille bonis.

* * *

Virtute æterna nihil est perfectiùs vsquam,
Non eget externis, quæ dare cuncta potest.

Ayala.

In medio virtus sedet aurea, deuius error,

Et

Et vitium, illius stringit vtrumq́; latus.
Rectus vt vsus habet laudem, sic crimina abusus
Fert secum: turpem conciliatq́; notam.

Porsius.

Repere nescit humi virtus, oditq́; tenebras,
Et palmarum instar patulas se tollit in auras.

Posthius.

Regia sicut auis nitidi templa aurea cæli,
Sublimi virtus sic petit astra via;
Deniq́; ceù fuluo nihil est preciosiùs auro,
Nil oculi gemmis pulchriùs aspiciunt,
Sic virtute nihil pretiosiùs, & magè pulchrum,
Quæ nostrum decorat non moritura genus.

* * *

Lucida flauenti circundata gemma metallo
Gratior est, pretio nam comitata venit.
Sic facies formosa magis tum deniq́; grata est,
Si summum virtus sit quoq́; iuncta bonum,

Palingenius.

Non metuit virtus inuicta laborem.
Spes famæ solet ad virtutem impellere multos.

Forcatulus.

Virtus vna manet rami frondentis ad instar,
Ipsa sibi est hæres, melius rescissa virescit.

Eucharius.

Ad virtutis opus tractandum naſcimur omnes,
Ad captanda animis dogmata ſacra pijs.
Nobile cæleſti Mens eſt ab origine germen:
Hanc caueas vitijs commaculare malis.

Ales.

Errat qui fore ſe continuò putat
Clarum, ſi fuerit de patre nobili
Natus? Nobilitas vnica creditur
Virtus, cuius iter ſit licet arduum,
Fructus dulcis erit, gloria nobilis
Expectata bonis, & decus inclitum.

Apherdianus.

Ambiguæ domitrix fortunæ ſtrenua Virtus
Noſtra graui quouis pectora faſce leuat:
Et velut in tenebris rutilus magis emicat ignis
Lætius aduerſis hæc agitata nitet.

* * *

Sola manet virtus, & clara ſcientia rerum,
In quas nil iuris pallidus Orcus habet.
Huîc opus eſt ſummo nos inuigilare labore,
Et diæ ſortis non adamare bona.

* * *

Diuitiæ pereunt, & quicquid ſplendet in orbe
Corruit, hæc ſubitò ſors violenta rapit:

Iuclita sed virtus manet, atq́; scientia rerum,
In quam nil fatum iuris habere potest.
Hæc tribuit laudem, sommos largitur honores,
Veras delicias præstat & omne decus:
Hæc tibi peruigili primum est quærēda labore,
Et meritò reliquis anteferenda bonis.

Adamæus.

Ætatum series, stemmata stirpium,
Vis errans Nemesis, lumina Martia
Cadunt temporibus: sed necis inscia
Virtutis remanet viuida gloria.

Hessus.

Crede mihi, virtus sola est, quæ laude perenni,
Debet & ad cælos, & super astra vehi.

Casa.

Sensus vt Iuueni pellicit intimos
Virgo candida, cum turgidulas tegens
Nulla veste papillas
Molli illum recipit sinu:
Sic laudes animum, vera vbi concinunt,
Permulcere solent: nec mulier tamen.
Vt cantu sinè dulcis
Spernit psallere tibiæ:
Sic Virtus, populus si taceat, sedens
Cessabit: nihilo nec minus obsita

Noc-

Noctis ferueat umbra,
Et deserta silentio,
Quam cum per medias inclyta ducitur
Vrbes, & celebris voce fauentium,
Direpta hostibus arma
Affigit foribus Deûm.

Mediolanensis.

Non generis series, nil artis, nilq; beatum
Cælica nî virtus infima nostra iuuet:
Semen & arescet sparsum sine germine, sancta
Cælestis roris nî foueatur ope.

Inthiema.

Emicat aduersis virtus operosa ruinis,
Vt leuis immissa flamma resultat aqua.
Inuidiæ stimulos, mordacis vulnera linguæ,
Cogitur excelsa præditus arte pati.

Aerssenius.

Omnia prosternit mortis violentia, gazas,
Diuitias, aurum, pascua, tecta, domus.
Viuit in æternum virtus, re clarior omni:
Virtus, cui parent tela cruenta necis.

Iacomotus.

Virtus suauis murmure barbiti
Laudata viuit, factaq; posteri

Furore

Lurore mirantur perempto
Pieriјs celebrata chordis.

VVenigerus.

Non tam conspicua est in lætis præstita virtus,
Quam, fugit a nostris cum Dea cæca focis.

Duetus.

Rebus in aduersis meliùs tamen insita virtus
Cernitur, & famam prorogat aucta sui.

Gentilis.

Ipsa sibi decus est ingens & purpura virtus.

Baudius.

Virtus decore sat nitet suo, neq;
Vulgus moratur pluriumq; gratiam,
Contenta semet atq; paucioribus.
Laudem profectam ab ore laudati viri
Benigna sumit, non acerba flagitat.

Vrsinus.


Nullis fatorum obnoxia virtus
Legibus, & terra condi nequit, alta capessit
Sydera, & ætherios tãgit modò vertice tractus,
Iam secura necis, victrixq; inamabilis Orci.

Incertus.

Cui satis est quod habet, satis illũ cõstat habere,

Cui

Cui nihil est quod habet, satis illũ constat egere:
Ergo facit virtus, non copia, sufficientem,
Et non Paupertas, sed cordis hiatus, egentem:
Ergò facit virtus non rerum copia plenum,
Et vitium mentis nummosum facit egenum.



TITVLVS
III.
Virtutis Effectus, & commoda.

Baudius.

F Autorum abundè est sola cum Virtus fauet:
Sat testium vna teste Conscientia;
Quæ sola vincit missè testium fidem,
Nec credit aliјs quam sibi de se magis:
Hanc nec sinistra deprimit Calumnia,
Nec indecora tollit Assentatio,
Vulgiuè plausus: non mouere de statu
Formidolosæ temporum vices queunt:

Marius.

Sæuos in hostes intrepidè arripit
Se prima virtus, cum recessit
Victa procul rabies furoris.

Nos

Arentius.

Nos vna virtus ex Acherontijs
Aufert tenebris, vna summis
Nos similes facit esse Diuis.

Campanus.

Omnia Virtuti cedunt; fuit Herculis illa
Dux ad Tartareas tendere posse vias.
Illa Ioui ad Cælum, sublimiaq́; astra beatis
Omnibus vt dicas, vnica fecit iter.
Contemnit ferrum, flammæq́; incendia ridet,
Digna olim claris Regibus illa fuit.
Eripit hæc homini mortem, præduraq́; soluit
Fata: licet vitam longiùs ire tuam.

Acerbus.

Tempore forma perit, vires ætatè fatiscunt,
Casibus innumeris eripiuntur opes:
Vna sed est Virtus, quam non vis temporis au-
Nec premit indigno sors inimica pede. (fert,
Inserit vna suos inuicta perennibus astris,
Fortunæ imperio liberat vna suos. (cis,
Hanc loquere: Insani est postponere firma cadu-
Veraq́; quæ bona sunt spernere, falsa sequi.

Nepos.

Mens victrix nil molle monet, nil debile dictat
Sonti difficilis, at miti blanda, rigorem

Exuit, afflictis clemens & ciuibus æqua,
Ardua nulla timẽs, animum nõ viribus æquãs,
Nil graue, nil durũ censet, nil linquit inausum.

Borbonius.

Pulchra (Dei donum) virtus facit vna beatos,
Post cineres virtus viuere sola facit.

* * *

Sæcula si vincas, vel quot Gangeticus ales
Apollini viuit sacer:
At semel abrumpet vitam soror è tribus vna:
Calcanda mortis est via.
O Homo fac vt sis etiam post fata superstes,
Inter beatos spiritus.
Hoc tibi præstabit teque euehet æthera suprà,
Æterna virtus permanens.
Virtus est studium veræ pietatis, & ardens
Amor, quod dat bonum Deus.

Blyenburgius.

Serpere nescit humi virtus, sed vt altiùs effert
Ad loca cultores nobiliora trahit.
Felices igitur quibus hoc cognoscere primum,
Propitioq́; frui numine cura fuit.
Credibile est, illos melius rebusq́; bonisq́;
Omnibus humanis arripuisse decus. (auras
Nam quod Mundus amat vanũ est, ferturq́; per
Forma, domus, nummi, semina, pacta, fides.
For-

Forma perit morbo, vis bellica destruit arces,
Et luxu magnæ dilapidantur opes.
Vtq́; satis frigus, sic sæpiùs obfuit æstus,
Pacta stetêre fide, iam cecidêre dolo.
Sola igitur virtus, & quæ virtute paratur
Gloria, non fictum creditur esse bonum:
Hæc folijs fructuq́; nouo velut innuba laurus
Floret, & æternæ semina laudis habet.
Tẽtatur quãdoq́;, sed haud corrumpitur vnquã,
Morbo, vi, luxu, frigore, sole, dolo.

Turnebus.

Acrior est virtus quam suscitat ira, dolorq́;:
Irritata venit, quæ morsu saucia damni
Angitur, & quærit collectis viribus hostem.

* * *

Certus inoffensæ vitæ cum ducitur ordo,
Nec titubata tenor constans vestigia ponit,
Aduersis nec læta labant, rubigine Virtus
Obduci solet, atq́; situ squalente notari,
Perpetuis torpere bonis & hebescere sueta:
Ast vbi lætorum seriem transuersa repentè
Interrumpit atrox sæuo Fortuna tumultu,
Se Virtus animosa mouet, segnemq́; veternum
Excutit, & terso tandem splendere nitore
Incipit, & vera sese ostentare figura:
Exuit & senium, viridem reparatq́; iuuentam,
Anguis uti primo posuit qui vere senectam,

Insultusq́; graues euincit sortis iniquæ.

Petrarcha.

Clara quidem longos virtus ventura sub annos
Viribus ipsa suis sublimis ad æthera surget
Non aliena petens inopis suffragia linguæ.

Strozapater.

Non ebore & gemmis, non auro vera paratur
Nobilitas, aliquid maius habere decet.
Nā virtutis, opes tantum ornamenta putantur,
Quas fortuna sua datq́; rapitq́; manu.
Hæc igitur nequeunt generosū reddere quenquā.
Causam in se virtus nobilitatis habet.

Koldingensis.

Aurum nobilitare homines gens nescia sentit:
Quæritus ergò magis.
Has stulti mirantur opes: hæc vilia terræ
Viscera suspiciunt. (aurum
Tam stolidis dignum quid mentibus imprecer?
Vt cumulent auidè.
Virtus nobilitare valet: Doctrina coronat
Quoslibet ingenuos.
Franguntur gemmæ, perit aurū, coccina vestis
Atteriturq́; breui.
Æternum virtus, atq; alma scientia durant,
Et pietatis Amor.

Diffici-

Apherdianus.

Difficiles aditus virtus habet inclyta, fructũ
Sed præbet quo nil dulcius esse potest.

Fungerus.

Hæc via virtutis gressu riget aspera primo
Difficilis, præceps, & salebrosa nimis.
Sed postquã vẽtum est cliuis, scopulisq́; relictis,
Ad summum, virtus ipsa vbi summa sedet:
Tunc leuis ingentem donat sine finè quietem,
Quam neq́; vis adimet, nec labor, ira, metus.

Incertus.

Est virtus verè semper malèfacta cauere.

Hospitalius.

O quibus est impressa animis virtutis imago,
Quos sibi conciliat, quãtosq́; adiungit Amores?

* * *

Si tibi diuina fuerit virtute voluptas
Posterior, solidis si fluxa pecunia rebus:
Sic introspiciens turpi secernere honestum
Disces, & quæ sunt verè bona, quæq́; videntur,
Nec sunt, indicio atq́; notis distinguere certis.
Quid possis, aut non possis, cui fecerit aptum
Te natura minusuè rei, cui longior vsus:
Sic pelles externa, regesq́; domestica victor,

Nec fallent alij, nec tu te deniquè falles.

*　*　*

Consistit virtus in agendo tota, nec vllum
Clausa intus miseris præbet mortalibus vsum.

*　*　*

Prætulerim Superum, & veræ virtutis Amorē
Omnibus humanis pretio & mercede redēptis:
Sera licet potiora tamen sunt illa bonorum
Præmia, nec gemmis Arabum mutāda nec auro.

Reusnerus.

Qui per virtutem verum sectatur honorem,
Et laudis magis est, quam studiosus opum:
Sufficit huic, longumq; diu perdurat in æuum,
Gloria, res, census, gratia, fama, fides.

Verlanius.

Est aliquid claris natalem stirpibus ortum
Ducere, nec vilem primo pede tangere terram.
Non minus est tenero mores cum lacte parentis
Sugere, prælustri vitam qui luce venustent,
Et rectum virtutis iter contendere monstrent.
Hinc decus, hinc viuax post mortē gloria surgit
Hac duce: quas Theseus Labirynthi dicitur olim
Exiuisse vias, et inextricabile tectum:
Scilicet ærumnas mortalis vincimus æui.

TITV-

TITVLVS IV.

De Virtute in genere.

Ales.

NVnc quò quis medio supremã attingere metã
Possit, & astriferos hilaris conscendere cælos:
Quò virtutis iter, quò fulgens actio tendat,
Hinc canere incipiam. Sicut vibraueris arcum
Frustrà, non statuens aliquid qua tendere tela
Mota queant ictus quoniam frustretur oportet:
Sic homines quicquid nondum compage soluti
Corporis efficiunt, finem referatur in vnum.
Hunc animo lustres: alio contendere nullus
Nitatur, fragili donec sub corpore degit.
Actio virtutum (mentis si cernis ocellis)
Terminus esse nequit, donec sint mẽbra soluta,
Ac animus cælos volucer conscenderit altos.
Viuentum dubio mentes errore labascunt,
Ni vigiles studeant, metam tetigisse supremã.
Si quid agas igitur, rectum perpendito finem.
Hunc animo speculare tuo, venerare libenter:
Huc tua facta refer, nec longè dicta recedant.

Viui-

Viuida mortales illûc perducere virtus
Sola potest, animos propria ditione gubernans.
Hæc hominum vitio mentes emundat ab omni.
An comes esse velis nitidæ virtutis vbiq;?
Exitiale scelus fugito: Sapientia prima
Destitui vitijs, prauosq; abstergere mores:
Quippe solent vitam macula fœdare nigranti.
Ante velut solers quam mandet semina sulcis
Rusticus, hic tribulos, & spinas tollit ab aruis,
Herbas euellit, glebas confringit inertes,
Nè crescat prohibet spinis paliurus acutis:
Sic animum si quis claris virtutibus ambit
Fingere, & excelsi pertingere limen Olympi,
Disparibusq; sonis versus cantare sonoros:
Concretæ pereant labes, & corporis omnis
Effugiat pestis, mentes soluantur ab omni
Flagitio: membris dominetur nulla voluptas
Corporeis: stabili rationi seruiat omnis
Sensus, & indomitus stricta frænetur habena:
Tum poterunt animo virtutis semina claræ
Mandari volucri, lætos & promere fructus.
Illustris quid sit virtus referemus, origo (nis.
Quæque sit, vt primis homini quæratur ab an-
Virtus cùm vitijs nusquam pugnare duobus
Abstinet, in quorum medio consistere gaudet,
Hanc habitum dicunt: est cui propensa voluntas
Fida comes, rectis semper præscripta, bonisquè
Consilijs: nec abest vnquam prudentia rerum,
Qua

Qua sinè consilium nequeas reperire salubre.
Quid verum fuerit, Prudẽs, falsumue requirit
Officiumq́ suum quoties exercet, in illis
Scrutandis residet, nec conterit otia deses.
Virtutis quoniam solo consistit in actu
Laus, roseusq́ decor, qnæuis & gloria lucens:
In quibus expediam soleat clarescere Virtus,
Solemniq́ suo coram potiatur honore.
Rebus in aduersis semper feruentior extat,
Ex animo quam dum mortalibus omnia cedũt.
·Prospera, quandò suos vultus fortuna reclusit.
Diuos quis nosset si prospera cuncta tulissent?
Multos quid memorẽ? nunquis nunc Hectora tã
Laudibus efferret, felix Troia maneret? (tis
Vnde Petro laudis tantum succreuit, & omni
Tanta Dei famulo successit gloria quondam?
Paulum quid referã, cælos quem vexit ad altos
Et labor, atq́ dolor? quantum telluris obiuit,
Cum tua Christe serit per quasuis dogmata gẽ-
In cælos hominem tollis, secreta reuelas, (tes?
Quæ nulli reserare licet, dum corpore cæco
Clauditur: hæc etenim mentes caligine mersas
Exsuperant, eadem Paulo perhibente sonoro.
Sed quid noster ait præco? mirabile narrat.
Nescio si luteis esset mens obruta membris:
At Deus ipse mihi reticenda arcana retexit.
Ardua quæq́ petit virtus, & tendit in altum,
Difficiliq́ via graditur, nec dura timere

Vlla potest: magno vegetat, fulgetq́ labore.
Ars tua nauta iacet, careat si fluctibus æquor:
At si quando fretum ventis agitatur iniquis,
Quis sis, & quantum valeas diffundis in orbẽ.
Vt candente solet fuluum fornace probari
Aurum: sic virtus mæsto commista dolore
Clara viret, quoties vultum fortuna retraxit.
At quandoq; tamen fluibunda sorte reflante,
Inclyta vix hominum virtus quæretur ab vllo:
Vires quin etiam minuisse videbitur omnes.
Rebus in aduersis igitur tua facta virescant:
Nec ponas animum malefida sorte reflante.
Cogeris insano forsan seruire tyranno,
An cupis ipsius validas contemnere vires?
Effuge peccatum, cæli mercesq́; sequetur:
Cur igitur duro sinimus seruire Tyranno?
Imperium remoue durum, virtusq́; silebit.
Rara sed est, dicunt, quam nõ fortuna gubernet.
Credo: sed interdum cernis non viribus vllis
Imminui, verum toto clarescere mundo.
Penelopæa fides testatur, & Hectoris vxor:
Nam quis Penelopen potuit mutare procorum,
Cum patria coniux & miles abesset Vlysses?
Interit occulta virtus quandoq; malorum
Fraude, sed illa quidem nondũ perfecta putetur:
Consummata graui splendescit vulnere virtus.
Non externa petit, sed per se cuique petenda:
Estq́; sui pretium, quanquam pretiosa referre

Dona

Dona solet viuis, fragili vitaq́ solutis,
Et quos iam constat cælos habitare nitentes.
Num virtutis opus gelido terrore peribit?
Nequaquã poterit. Cur nunc virtutibus aurum
Post ponunt homines? quia vulgus fallitur omne
Virtutes opibus solitum postponere fluxis.
Nunc meliora vide: nam qui cælestia regna
Ampla colunt, populi temnunt vulgiq́ loquacis
Verba, quibus terrena probat, quæritq́ metalla.
Vdas despiciunt terras, & corpora mundi
Interitura breui. Molitur maxima virtus.
Quin etiam mæstos tolerans, summosq́ labores
Emoritur nunquam, vires augmentat in horas.
Visnè tuam vastum famam diffundere in orbẽ?
Pelle moras, rigido virtus interrita cliuo
Alta petit: nam sæpè probant aduersa virorum
Qui fuerint animi, & cõstãtia pectora produnt
Mollia corda geris? duro consuesce labori.
Improbus (vt cecinit Vates) labor õnia vincit.
Et quæ principiò fuerant asperrima factu,
Post vbi peruigiles tuleris, durosq́ labores,
Tempore mitescunt. Quæ sors infida ministrat,
Antiqui repulêre viri virtutis amore,
Ex hominum numero quam si persenserit vllus,
Protinùs excedet radiantia lumina Solis,
Sub pedibusq́ suis hominum genus, atq́ ferarũ,
Et soles calidos, frigusq́, famemq́ videbit.
Exerce virtutis opus: nil clausa tenebris

Prodest:

Prodest: desidiâ vilescunt omnia molli.
Non alitèr quam si valido sine remige nauis
Fluctuet ob ventos, & vasta per æquora rimas
Ingentes capiat, fluidis mergatur & vndis.
Scire cupis virtus, & desidiosa voluptas (ni
Quid distent? mõstrat discrimine secta bicor-
Littera Pytagoræ docto celebrata Maroni.
Dum pisces fluuius, volucres dum prouehet aër,
Dum syluæ pecudes, & duros rura colonos,
Semper erit virtus cælos diffusa per altos.
Hanc proferre licet, quam non abolere vetustas,
Nec ferrũ poterit, crepitans nec soluere quæuis
Flamma, sed ipsa poli nitidi super astra feretur.
Substituisse soles pro veris falsa dolose?
Omnipotens virtus fictis te dedocet vti.
Nobilis annè cupis fieri? non arte parentum
Hoc tibi continget. sola virtute regente
Nobilis euades. generosum quis ferat vllum
Clara progenie natum, qui nomine solo
Cernitur insignis? Quid claro sanguine cretum
Te iactas toties, si tu despexeris almam
Virtutem, sceleris labemquè attraxeris atri?
Ante videbuntur segetes herbescere Ponto,
Æquor & in dulcẽ, suauemq́; recedere lymphã,
Et priùs abscedent vrsæ glacialis in æquor
Sydera, veliuoloq́; mari, vetitoq́; fruentur,
Quam tibi nobilitas vllo contingat in æuo,
Si desit virtus. Solum res acta decentur

Nobi-

Nobilitate bonos homines insignit, & ornat.
Sis patiens operæ: nam quos patientia casus
Non superat duros? quæ non ludibria tollit
Instabilis sortis? fortes imitare, nec audi
Quæ claris hominũ semper virtutibus obsunt.
Alget nunc probitas, populo laudatur ab omni.
Regna vigēt linguæ, culti sermonis abundat
Nunc studium, petitur fucata elegantia sanctis
Moribus abiectis, quis nunc virtute mouetur?
Languet plus nimio, decrescit, strata recumbit.
Gloria cur periјt? cur nunc marcescit vbiq́;
Iustitiæ splendor? multi virtutibus obsunt,
Rectis inuigilant pauci, rebusq́; decoris.
Multa reformidant praui, sed nemo timere
Nobilis illa potest, qui non terrore mouetur.
Quod si vir Sapiens quandoq́; pericla subire
Cogitur, haud mentis iacitur de sede quieta.
Virtutis precium quæris? largissima fundit
Præmia sit quamuis precium sibi: quippè rapaci
Non hæc fortuna regitur. nè te morer, audi.
Fert grauiter Sapiens maculatos crimine plures
Apparere bonos, vitiumq́; latere nefandum.
Tetrum namq́; scelus specie virtutis vbiq́;
Decipit incautos, subitòq́; ad Tartara ducit.
Audaces ferimus fortes, timidosq́; modestos,
Et magnis homines animis quandoq́; superbos.
Dumq́; volunt stulti vitiorum pessima quæq́;
Pellere, conspicies hos in contraria labi.

Qui

Qui vitium fugiunt, medium tenuere beati.
Hi stabili virtute sua contingere possunt
Regna parata bonis, & lucida sidera cæli.
Fructibus utuntur claræ virtutis amœnis,
In cuius faciem rutilantia lumina vertit
Per celebris Paulus, fidei qui lumine clarus
Insanos superat populos, redditq; fideles:
Omnia quæq; iuuant recipit: nam singula rumpi
Sæpe solent, vinclo fuerint nisi iuncta tenaci;
At coniuncta suis dominari viribus audent.
Vis odisse malum? quæras virtutis amore
Quæ bona sunt, miseræ nũquã formidine pœnæ
Quid facias: celebri demum virtute traharis.
Abstinet à vitÿs prauus, pœnisq; metuq;:
At cogi renuit virtus, quæ libera quærit
Pectora. Virtutem quis non præcellere rebus
Omnibus exclamet? quamquam nos vita, salusq;
Candida libertas, cognati, patria, resq;
Et chari mundo qui nos genuêre parentes,
Fundus, & arua solent tutari: at cõmoda plura
Ex virtute tamen manant patiendo decori
Tempora. Si dicas cur nunc inculta iacere
Conspicitur virtus? non dantur præmia magnis
Ingenÿs: nullus proprio donatur honore:
Vndê fit vt studium tenues vanescat in auras,
Et doctæ pereant artes, Musæq; recedant.
Quam multos videas dura, sæuaq; coactos
Pauperie liquisse viam virtutis! iniqua

Quid non pauperies molitur? viuere rapto
Incitat: hinc atrox hominum iugulatio surgit.
Si comes est virtus nullis fautoribus vnquam
Ambitiosus eris: studiosi facta iuuabunt:
Crescet in immensum quicquid tentaueris altæ
Fidens virtuti. quis enim non regna togata
Primum parua videt, sed post creuisse repentè,
Dum multum celebris virtus Romana vigeret?
Visnè tuam latum proferre per aëra famam,
Atq; tuis tandem laudes superare Camilli?
Multa feras, faciasq; Puer, pigramq; quietem
Pellas, quæ mentes habetat, corpusq; retundit.
Abstineas Venere & vino; nam diruta Troia
His iacet: hæc queruli comitãtur mille dolores.
Est comes Ebrietas Bacchi, Venerisq; nephãdæ.
Corporis eneruat vires damnosa voluptas.
Copia nonnè meri multos titubare coegit?
Quod sub corde latet, gignens sæuissima bella,
Detegit Ebrietas, cogitquè arcana fateri.
Viuere vis placidè? tollas obliuia mentis.
Id virtutis opus quã nulla obliuia carpunt.
Si laudare bonos non cesses, nemo virorum
Asscribi numero nolet, residesquè mouebunt
Otia, quæ mentes hebetant & corpora soluunt.
Si tibi pauper adest, qui sit virtute coruscus,
Immani dubites illum præferre Neroni?
Quid tibi diuitiæ prosunt? quid opes? quid
Argenti faciunt cumuli, si nulla relucet (auari

Actio

Actio virtutis? summo dignabor honore
Cui comes est virtus, quā nunc cōtingere paucis
Constat, luce sua quanquam superare videtur
Omnia, quæ rudibus terris, cæloq́ premuntur,
Elysiasquè domos habitat, fruiturq́ cupitis
Nil nisi quod meruit, poscit: lætatur amicis,
Laudibus: occultos nunquā commenta videtur
Esse dolos: homines extollit ad æthera sanctos.
Iam videor quid sit virtus docuisse serena,
Huius & in laudes quædam libasse superbas,
Quam cupiat si quis complecti, sæpè laboret,
Nil agitet ratione nisi moueatur acuta.
Ille locum, tempusq́ simul discernat, & omnes
Causas, quæ circum soleant astare, penetret.
Ipsa bonam reddunt operā, mutantq́ frequēter.
Regibus illa quadrant, hæc paupertate coactis.
Conuenit hoc inopi: quod si repletus opimis
Diuitijs faciat, cunctis ridebitur: eccè
Quod licet, est aliquid: cessabit fortè licere.
Officium tempus variat, persona, locusque,
Et modus, & causæ, & res instrumēta mouēdi.

TITV-

TITVLVS V.

De sapientiâ, & de sapientiâ verâ ac ipsius simulachro.

Euangelista.

In partes Sapientia cuncta De sapiẽtia siue Prudẽtia.
Scissa duas, curat mores, vrbemq́, domumque:
Virtutem, vitiumque docet: secernit honestis
Turpia, quæ fugias, proponens, quæq́ sequaris:
Vndè parentur opes, & qua ratione tueri
Parta queas, quo iure vxor tractetur; heriquè
Quale sit imperiũ in seruos, & quanta potestas
In natos patris, vtatur qua lege Tyrannus,
Qua Rex; quouè modo Respublica cuncta gera-
Siue domi, seu militiæ: nã iura vocatis (tur
Dat populis, bellumq́ infert, aut arcet ab vrbe.
Atque hæc, quæ in medijs rebus versatur agẽdis
Doctrina, proprio Prudentia nomine fertur.
Altera, quæ vero, & certo Sapientia verbo
Dicitur, in rebus speculandis fixa, latentes
Aut quærit causas naturæ, aut omnia quanti
Rimatur genera: & terram metita, polumque

Astro-

Astrorumq́ue, ortus, obitusq́ue obseruat: & ipsas
Obscuras numeri rationes dispicit omnes:
Inter se confert: atq́ue acri indagine quærit,
Quæ sit collatis vis, & cognatio quanta,
Aut, his neglectis, sese, ad diuina, Deosq́ue
Erigit, & lætis fertur super æthera pennis.
Ac veluti illa petit Doctrina in rebus agendis
Sola bonum, hocq́ue sibi statuit Prudentia finem:
Sic celsa exposcit tantum sapientia Verum.
Vtraq́ue nempè Deum verique, bonique parentẽ,
Aut ipsum potius summũ, verumque, bonumq́ue:
His mens culta nitet, gaudens fruiturque Deorũ
Concilio, alloquitur Superos, mortalia temnit
Diuinis inhians: crateras nectare plenos
Ebibit, Ambrosiam dulci depascitur ore.
Rerum cognitio his cunctis perfecta tenetur.

Reusnerus.

Prima docens rectum, custos Sapientia vitæ est:
Cum vitijs morbos pellit & omne malum.

Camerarius.

Ardua vallatur duris Sapientia scrupis,
Dulcibus ast eadem fructibus illa scatet.

Porsius.

Vera fluit Iouis è puro Sapientia fonte,
Quæq; Deum spernit non est sapientia felix.

Omnis

Thijnophanius.

Omnis in humanis, vana est sapientia rebus,
Quæ non a summi est mente profecta Patris.

Sarrachus.

Flagitijs caruisse malis sapientia vera est,
Virtutemq; vlnis continuisse suis.

Mancinellus.

Est cunctis opibus melior sapientia rerum.

Est pretiosa magis rebus sapientia cunctis.

Badius.

Nil deest optandum si cui sapientia præsto est:
Nil habet optandum si cui sapientia desit.

Murmellius.

Optima Dux vitæ sapientia, lucida virgo,
Clara Iouis soboles, inclyta forma Dei.

Adamæus.

Sacraria pandit:
Hæc miseras vulgi curas, & inania vota
Fortunæ domitrix ridet, trepidosq; tumultus:
Explicat hæc rerum causas ratione sagaci,
Contemplans animo pulcherrima dona Deorũ,

Ætheris immensi zonas, distantia regna:
Aërios tractus penetrat, terramq́ profundam;
Ingenium, mores hominum scrutatur ad unguẽ,
Nouit & herbarũ, lapidumq; potẽtia quid sit,
Curat quod dictat ratio, quod suadet honestum.
Quid valeat virtus quærit, temeraria quid
(Sors.

Posthius.

Vita breuis, forma est fugitiua, pecunia fluxa:
Imperium inuisum, Bellona pericula gignit,
Ancipiti volitat pennâ Victoria, rarò
Intemerata manet Concordia, longior ætas
Quam misera est? felix igitur Mors iure pute-
Mortis at expertẽ præstat sapientia famã, (tur:
Qua sinè vel Cræsus nil paupere discrepat Iro.

Palingenius.

Vix paucis nouisse datum, quo tendere tutum,
Quà sit iter, per quod vera & bona summa pe-
Nõ docet hoc gemini nodosa sciẽtia iuris, (tãtur.
Non qui Pæonio sanat medicamine morbos,
Non Rhetor, non Grammaticus: Sapientia sola
Hoc aperit, fida hæc hominũ Dux atq; Magistra.

* * *

Ipsa bonum quodcunquè aliud Sapientia vincit.
Hoc homini nequeunt Diui dare munere maius.
Sed fortassè aliquis quærit, Sapientia quid sit?
Nil aliud certè est, nisi prima scientia, per quã
Mens

Mens pura, & nullo mortali pondere pressa,
Libera terrenis affectibus, atria cæli
Scandit, & ætherea cum Dîs versatur in aula,
Omnia despiciens prorsus mortalia, tanquam
Friuola, & assiduò tēdens velut ignis in altum,
Inferiora parum curans: sublimia semper
Cogitat, & verè quæ sunt bona, quæ mala nouit:
Ac verum à falso rectè distinguit: & illa
Quæ cæci & miseri mortales maxima rentur,
Regna, voluptates, & opes, tumidosq; triūphos,
Pro quibus vsquè adeo noctesq;, diesq́ laborāt,
Pro nihilò pendens, curas miseratur inanes,
Ostendens rectè viuendi iter ac moriendi.

* * *

Tu quæ sit cultura animi fortasse requiris?
Est Sophia, est inquā Sophia: hāc intellige, mores
Quæ docet, atq́ probos homines facit, & viuēdi
Rectè monstrat iter mortalibus, vt pietatem,
Iustitiamq; colant suadens, & crimina vitent.

* * *

Spernitur, & dānum patitur Sapientia, cui nō
Respondent vires, quem nulla potentia fulsit.
Vnde tacere quidem præstat: Tu despice laudes
Insulsas vulgi, & fortunæ munera cæcæ
Atq; Deo studeas omni virtute placere.

* * *

Sapientia fructum
Producit vitæ, fert ipsa scientia florem.

* * *

Discite nonnulla esse auro longè meliora,
Quæ stultis prauisq; Deus concedere non vult.
Hæ sunt virtutes, pietas, prudentia, nec non
Iustitia, & cunctis potior Sapientia rebus.

Vranius.

Sola suo ductu sapientia regna gubernat,
Sola regit populum, pacis amica bonæ.
Egregiæ pereunt vrbes, sapientia si non
Illas consilijs officiosa regat.
Est velut in naui clauus sapientia in vrbe,
Nam regit hæc ciues, dirigit ille ratem.
Regna opulenta cadunt vbi nō sapientia motus
Componit subitos, ortaq; bella premit.
Eijcit errores prudens sapientia cunctos
Ex animis hominum, nil nisi recta probans.

Agricius.

Vt vitis gremio floret diffusa subacto
Pendulaq; vmbroso complexu brachia tollit
Et pandit lætos viridi curuamine fætus,
Quando hæret textis dulcescens vitibus vua
Grataq; pampineis effertur crinibus aura:
Sic lætos spargit fulgens, sapientia fructus
Ambrosios, quæ extrà suprà q; exhalat odores

Et

Et varios circum spargitque, iacitque colores.
Et cum flaccescunt quæ putris corporis huius
Ius retinent certum, reuirescit flore perenni.

* * *

Hæc regere imperio populos & fædere certo
Edocuit pacem, victisque imponere leges.
Lataque compleuit substructis oppida saxis.
Mæniaque extruxit lapsis ingentia muris:
Hinc domibus firmas positis circundedit arces.
Hæc primum largos celsa intrà tecta paratus
Intulit: hinc soboles numeroso florida partu
Exijt: hæc Martem accendit: pacemque periclis
Subiecit, cætus mulcens læto agmine mixtos.
Hæc strauit magnos, paruosque in sceptra vocauit.
Hinc celsæ incensis caluerunt ignibus aræ:
Hæc est Castalius claræ sacer ortus aquai,
Trita Medusæi quem flebilis ungula fudit,
Hæc docuit tetricæ generosas Palladis artes
Quæ sunt, clare Bia, patrijs erepta ruinis
Munera: diuitiæ flagranti ex igne receptæ.
Hæc maris insanos æstus, & inhospita saxa,
Altaquè deuexi speculans curuamina cæli
Intima naturæ reserauit claustra profundæ.
Hæc toto varias molitur pectore curas,
Et nostros vestit suffuso numine sensus:
Pressa per aërios flectens vestigia gressus.

Siste

Chytræus.

(ægra

Siste hic, siste gradum. & dubius ratione quod
Non satis assequeris, reuerentèr pronus adora:
Et committe Deo (quod te Deus ipse, piumq́;
Quēq́; iubet verax summi ōnipotētia Christi)
Qui nos, qui sanctos hunc pridē maluit omnes
Mirari, quam nosse modum. nescire sed illa
Quæ Deus ignota esse iubet, Sapientia sūma est.

Incertus.

Mente Deum gerere, peccata futura cauere,
Mundum despicere, cælestia corde tenere,
Hæc est syncera mentis sapientia verè.

Ales.

De Sapiē-tia vera, & ipsius simula-chro.

Iam tractare libet quid sit Sapientia, cuius
Nomen apud veteres summo celebratur honore
Est intellectus, rutilansq́; scientia rerum,
Quarum non dubiè renitet perfectio summa.
Hæc humana videt cōtemplans optima quæquè.
Hæc oculis lustrat cælo quid manat ab alto.
Principijs demum quæ sint certissima constat,
Complexisq́; simul, quorum natura manebit
Perpetuò, quæ iure queunt firmissima dici.
Omnes perpendit rerum sapientia causas,
Vndè fluunt hominum quæcunq́; videtur ocellis.
Primam præcipuè causam speculatur, origo

Omnibus vnde datur, vasti quæ machina Mundi
Continet, & cælo quæ sunt contenta sereno,
Doctrinæ retinent aliæ complexa, simulq́;
Principia, haud aliter fieri quæ posse fatemur.
At sunt illa tamen de rebus sæpe caducis,
Quæq́; suis olim poterunt desistere cæptis,
Quasq́; manere diu constat non esse necesse:
At quæ perpetuò remanent, sapientia clarè
Inspicit, & conclusa tenet quæ stare necesse est.
Prima quidē causasq́; videt, quæ semper haberi
Expedit, extenti pereat nisi machina mundi.
Ergò intellectu constat sapientia certo,
Assiduoque comes graditur firmissima rerum
Cognitio, debet quæ certa scientia dici.
Cuilibet hæc decoræ longe præponitur arti.
Deniq́; virtutum mentis non vlla videtur
Nobilior, fulgensq́; magis vel dignior omni
Laude. Quis in terris sophiam laudare decenter
Possit, &, vt meruit, verbis ornare disertis?
Dirigit hæc habitus nostræ sapientia mentis,
Quos contemplanti tribuas, & prima videnti.
Actiuos habitus veluti Prudentia solers
Ordinat, hos omnes ad se consueta referre:
Sic alios habitus mentis sapientia nostræ
Perspicit, atque regit, prohibēs deflectere recto.
Hanc igitur sapiens virtutem possidet: illùc
Confugit. En aliter capitur sapientia multis.
Seruilis siquidem virtus quandoque vocatur
Artis

Artis, & ipsius decus, & perfectio summa:
Si qui completam peperit, vel continet artem,
Hic sapiens fertur: qualem vixisse putamus
Zeuxin, cuius erat celebris pictura per orbem:
Vinea cuius aues fallebat imagine ficta.
Nec Polycletus ei cesset. Sapientia talis
Non est vera, licet celeberrima nomina sumat.



TITVLVS VI.

Viri sapientis descriptio, & de Ratione prudentum rectrice.

Baudius.

Viri sapientis descriptio.

Sagax vir ordinat,
Suamq; fingit ipse Fortunam sibi.
Donat quid illa? gratis accipit, nihil
Votis lacessens haud virilibus Deam.
Datum reposcit? haud resignare abnegat
Quod lege possidebat arbitraria,
Non Iure certo: permanens enim bonum
Nec fors habet Fortuna, nec potest dare

Vari-

Varians vaganſq́. Tale ad exemplum decet
Formare vitam, quiſquis hoc ritu ſapit,
Regnat, regitq́ regna, ſortis Rex ſuæ.

Mopha.

Vir prudens ſeſe naturæ accommodat, omnem
Affectum ratione regens; mediocria cunctis
In rebus ſeruat, ſecuruſq́ inter vtrunq́
Ambulat extremũ, procul abſunt fœda voluptas
Ira, timor, curæ ingentes, atq́ immoderata
Gaudia, ſucceſſu nec multum extollitur, at nec
Frangitur aduerſis, eadẽ eſt conſtantia ſemper.
Vtq́ diu vigeat ne deſit quiduè ſuperſit
Prouidet: exercet corpus mediocriter, omni
Vitato exceſſu; membris alimenta miniſtrat
Potus atq́ cibi quantum natura requirit:
Qualeq́ ventriculus facile eſt cocturus: eundẽ
In ſomno, vigilanſq́ modum conſeruat, & omnẽ
Corporis atq́ animi ſolers benè temperat actum
Quòd ſi fortè aliquo metã trãſgreſſus abuſu eſt,
Corrigit extemplò, vitium nec ſuſtinet vltrà
Exceſſum minuens, defectum tempore ſupplens
Semper, & oppoſitis emendat crimina curis.
Sic probus & ſapiens ſeros perdurat in annos,
Perpetuò felix, & forma & robore pollens.

Hoſpitalius.

Hic quæcunq́ Deus mittit mortalibus ægris

Seu

Seu bona, ſeu mala ſunt, ſapiens ita collocat aptè
Vt quadrare putes; corrumpunt & bona ſtulti,
Et mala quæ fuerant faciunt peiora fruendo.

* * *

Maxima pars hominum quæ ſunt præſẽtia tantũ
Spectat, & æternæ pœnas & præmia vitæ
Negligit: vt quæ ſunt ſpacijs diſiuncta locorum
Temporibuſuè, ſolent minus eſſe pericula curæ.
At fortes animi prorſus nihil iſta morantur,
Quæ ſũt fluxa cadũtq́; citò & mutãtur in horas:
Non illos aurum, non ſpes, non gratia flexit,
Non metus erecta circum fora fronte vagãtur,
Introëunt aulas, venerandi Regibus ipſis.

* * *

Exilium metuunt, quorũ tenet improba mentes
Ambitio, qui vana magis, ſpecioſaq́; rerum
Suſpiciunt, mortemq́; putant ſine regibus eſſe,
Priuatamq́; domi procul aulâ degere vitam.
At Sapiens nec ſolus erit, cum ſolus in agro,
Solus deſertis Lybiæ ſpatiabitur oris. (ſe
Sẽper enim magnum & præclarum cogitat, aut
Dignum aliquid, fidis circumſtipatus amicis:
A quibus aduerſa neque tempeſtate, nec vllis,
(Vt mos eſt hominum.) Fortunæ caſibus vnquam
Deſeritur, quos tum laſſus, ſi fortè, legendo
Depoſuit manibus, conſcribit & ipſe legenda,
Præſentiq́; bonus, venturoq́; vtilis æuo.

Haud

Grudius.

Haud caret affectu sapiens vir, marmoris instar
Ast animi motus sub ratione regit,
Arbiter ipse potensq́ sui: Mens stulta furori
Paret, & in vitium prona volensq́ ruit.
Sic bonus atq́ malus nullo discrimine, ventos,
Ventis & tumidas Nauita sentit aquas:
Ille sed intrepidus proram minitantibus vndis
Obuertens, superat mente, manuq́ malum:
Abijcit hic remos exspes: cedensque, procellæ
Dat latus, & iustam combibit ore necem.

Euangelista.

Omnia scit, magni qui nouit adire Tonantis
Æthereasq́ domos, atquè aurea lecta Deorum
Iustitia, virtute, fide, gestisque superbis.
Verum qui ignorat, qua semitâ aditur Olympus
Fulgens syderibus: quæ sit ratioque, modusque,
Quo liceat Superum alloquio, lætisque potiri
Cælituum mensis, epulisquè accumbere Diuum,
Ambrosiaque frui, sunt illi incognita cuncta.

Turnebus.

Is sapit, hostili quem facta pericula damno
Erudiunt.

Billius.

Quis mihi sit dignus sapientis nomine quæris?
Accipe: Cui virtus iam sapit, ille sapit.

Mil-

Mille etenim videas, quibus est carissima vir-
Nec tamē his virtus dulce perindè sapit. (tus,
Quæris item dici quis possit Iure malignus?
Scilicet is, vitij quem sapor ipse iuuat:
Nam rapit in vitium multos insana libido,
Non sapor, & vitij pernitiosus Amor.

Posthius.

Prudentes animo ventura pericula cernunt,
Vitantq́ fati seruientis impetum.

Palingenius.

Tu fortis, prudens, iustus, pariterq́ modestus
Si fueris, si te non parua scientia clarum
Reddiderit, quæuis tribuit tibi vestis honorē.

* * *

Formosos reperire licet, robustus vbiq́
Nascitur & diues: contrà rarissima tellus
Qui sapiat quēquam tam vasto vidit in orbe.

* * *

Præfulget Sapiens alijs, ceu sijderibus Sol,
Fortunæ imperium tutus contemnit, & omnes
Calcat sub pedibus constanti pectore casus.
Quin etiam nullo mortis terrore mouetur,
Nec timet infernas pœnas, sibi conscius: imò
Lætus obit, ridens pauidi fantasmata vulgi:
Nō dubitās miserū hoc, plenūq́ laboribus æuum
Linquere, & æternā moriendo acquirere pacē.

Fælix

* * *

Felix in terra Sapiens, & in æthere felix.

Erasmus.

Est viri prudentis illud,
Atq; cordati, catiq;,
Multum aquæ cui nauigatum, vt
Semper ad feliciùs se
Cautus inflectat latus.

Camillus.

Sapiens qui firma reliquit
Prima solo vestigia, deindè potitus aperta
Planicie, socios iam cursu præterit omnes:
Mox animo exultans Diuum sublimia tentat.

Andrelinus.

Quem releuat virtus multo sudata labore,
Nobilior Paulis ille duobus erit.

Torrentius.

Quem munit almæ vis Sapientiæ,
Beatus in se possidet omnia.
Ac vana fortunæ minacis
Spicula, & assiduos rotatus,
Tormenta vulgi, negligit: illius
Securus, extra quod positum videt.

Sper-

Borbonius.

Spernit turpe lucrum prudens, ædesq́; superbas,
Spernit inauratas, marmoreasq́; trabes:
Spernit ebur, gemmas, argētum, aulæa, tapetas,
Spernit opes, vastæ luxuriemq́; domus:
Spernit odoratas vestes, auroque trilices,
Spernit delicias Cypris, Amorq́; tuas:
Spernit compositæ damnosa impendia mensæ,
Speɹnit res hodiè quas rude vulgus amat:
Spernit & inuidiam, & sceleratæ murmura lin
Spernit clamosi iurgia vana fori: (guæ,
Omne malum (breuiter) prudens, spernitq́;, fu-
Virtutēq́; (bonæ gaudia mentis) habet. (gitq́;,
Contentusq́; vna hac, mortales ridet honores,
Inq́; humili patiens noscit egere casa.
Omnia fert & sc casus componit ad omnes:
Quod loquitur lingua, pectore sentit idem.

Merula.

Centum catenis ferreis vinctus licet
Sapiens sit, vsq́; liber est: & solus est
Diues, & hospes exteris, periculi
Securus, vnus fortuitis imperans.

Beroaldus.

Rebus in aduersis vir prudens atq́; secundis
Perpetuum discit vitæ seruare tenorem.
Fortunæ instabili nusquam confidit, acerbos

Illius spernet vultus, spernetq́ benignos.
Inuictus, duplicem librato examine lancem
Pensabit, summumq́ bonum laudabile quod sit
Credet, & à sancto nunquam disiunget honesto.
Nulla libido virum franget, summumq́ malorū
Esse voluptates cordata mente monebit.
Et quæ mirantur vulgus, virtute minora
Ducens, toto animo metam spectabit ad illam
Quam fixit Zeno, & diuini dogmatis autor,
Qui non expauit gelidas haurire cicutas
Delatore Anyto morti damnatus iniquæ.
Nec magis ad dextram flectet, flectetuè sinistrā,
Certa sed infiget vestigia tramite recto.
Idem culpabit quicquid mensura, modusquè
Non reget, at fuerint si quæ moderata probabit.
Hic vitia incusans personæ parcet, amicum
Non petet ex mensa, triuijs, unctaque popina;
Non petet ex lustris, sed qui præcepta Platonis
Qui cata Aristotelis callebit dogmata: in illum
Totus pronus erit, illi sua gaudia, curas,
Et studia & mores reserabit, & omnia pandet,
Atq́ anima ex vna duo corpora viuere ducet.
Sēper idē velle huic, & idē quoq́ nolle placebit.
In summa Sapiens, ad cuncta pericula fortis,
Eriget in domitam mentem, nulloq; premetur
Pondere: & à nullo raptatus pondere cedet,
Instar Idumææ palmæ, quæ munere Diuum (ras
Quò magis opprimitur, tantò magis exit in au
Æthe-

Æthereas victrix, & recto palmite surgit.

Fungerus.

Prudentes homines terris populisq; regendis
Sunt apti, his tradi Regia sceptra solent.
Quãdo etiam tales rerum moderãtur habenas,
Sancta viret virtus, & perit omne scelus.
At si tractando clauo admoueantur inepti,
Labi cum populis integra regna solent.

Vranius.

Est Sapiens veluti præclarum lumen, vbiq;
Quod nebulis pulsis cuncta serena facit.
Publica res in ea planè collabitur vrbe,
Nullus vbi sapiens consulit, æqua monens.
Nil temerè aggreditur Sapiens, deliberat antè
Quid facere expediat, noxia quæq; fugit.
Manè quid acturus præcogitat, egerit & quid
Expendit trutina mox vbi vesper adest.
Virtutes auidè sequitur, laudatq;, colitq;,
Vtq; alij faciant istud vbiq; monet.
A vitijs animo forti vehementer abhorret,
Inq; suas ædes nulla venire sinit.
Prospicit hæc etiam quæ sunt quandoq; futura,
Non videt id solum quod iacet ante pedes.
Blanda voluptatis delectamenta repellit,
Non genio indulgens dat sua cuncta gulæ.
Si quidquam superest, alacer largitur egenis,
Atq;

Atq; inopes hilari mente iuuare studet.

* * *

Omnibus est Sapiens virtutibus vndiq; cinctus,
Omnes nam pariter concomitantur eum.
Supprimit affectus animos ad praua trahentes
Tranquilloq; facit corda manere statu.
Non metuit mortem Sapiens, migrare sed optat
Ad Superos, vbi sunt gaudia vera bonis.
Illum luctifici tangunt si quandò dolores,
Fert animo forti, nec gemit absq; modo.
Laudatus Sapiens cristas non tollit in altum,
Vituperat si quis, non rotat ira caput.
Effertur minimè lætis, neq; tristia fortem
Deÿciunt animum, fert patienter ea.
Postea pæniteat cuius nihil inchoat vnquam,
Omnia nam certa cum ratione facit.

* * *

Vrbis est lumen Sapiens decorum,
Nubibus longè nebulisq; pulsis
Quod suis fulgens radÿs amæni
Cuncta serenat.
Sentiunt vrbes validæ ruinam,
In quibus nemo Sapiens salutem
Publicam quærit, neq; suadet illud
Est quod honestum.
Incipit iusta nihil absq; causa,
Prospicit visu Sapiens acuto
Commodè possit fieri quid, omni
Absq; periclo.

Cogitat quæ ſint facienda, manè
Antequam prodit, trutinaq́; iuſta
Veſperi expendit reuocata mente
Facta diei.

Cuncta prudentèr vitia execratur,
Et fugit peſtem veluti malignam,
In ſuas ædes patitur nec vnquam
Vlla venire.

Proſpicit quæ ſint etiam futura,
Linceo viſu ſimilis ſagaci,
Nec uidet ſolum faciem retectum
Quod iacet antè.

Non voluptates ſequitur nocentes,
Spernit omninò illecebras earum,
Nec gulæ indulgens nimium, paterna
Decoquit arua.

Fortè ſi quicquid ſupereſt, egenis
Erogat lætus, ſtudet ac iuuare
Pauperes quantum patitur facultas,
Omnibus horis.

Congerit magnas nec opes iniquè,
Æra nec claudit ſtudioſè in arca,
Diuites ſicut faciunt auari
Semper egentes.

Sobrio ſemper procùl eſt ab ipſo
Luxus infrenis, populator audax
Auri & argenti, genitorq́; tandem
Pauperiei.

Integer

Integer mores retinet vetustos,
Vt patres quondam statuêre sancti,
Corde syncero venerans auitam
Relligionem.
Permanet constans velut alta rupes,
Flante nec vento instabilis mouetur
Hùc & illùc in varios reflexus
Sicut arundo.
Mæstus est raro, metuit nec vlla
Tela fortunæ, iaculatur arcu
Quæ pharetrato Dea bruta, gaudens
Lædere multos.
Nil timens mortem Sapiens, migrare
Eius in voto est superas ad ædes,
Est vbi nullus dolor, aut coarctans
Pectora mæror.
Rebus exultat minime secundis,
Non in aduersis animum remittit,
Sed manet constans in vtraq; sorte
Mente, animoq;.
Nil agit cuius citò pœnitere
Post queat, certa ratione cuncta
Efficit, prauos repremit q; motus
Gnauiter omnes.

Mediolanensis.

Omnia fert secum Sapiens sua, nilq; relinquit
Ab se, nec proprias ni sibi credit opes.

Incerti.

Doctor erit ſemper qui viuere ſcit ſapienter.

*　*　*

Fallitur inſipiens vitæ præſentis amore,
Sed benè ſcit ſapiens quantum ſit plena dolore.

Hoſpitalis.

De Ratione prudentum rectrice.

Hæc ratio fortes audacibus, & malè cautum
Separat à Prudente viro, qui proſpicit antè
Quatenùs audendū, quæ mox euenta ſequātur:
Collatiſq́; duobus vtrum præponderet vtri,
Vt dulcis nè ſpontè relinquat munera vitæ:
Si vilis res, ſi tenuis, ſi deniq́; tanto
Ac tali precio nec digna videbitur eſſe.
Contra mille mori dubitet nec mortibus, ingens
Vtilitas quoties, patriæuè popoſcerit vſus.

*　*　*

Non caſu mutabilis vllo
Vis animi eſt, imbuta ſemel virtutis amore.

Ales.

Mens hominis rerum cauſas luſtratq́;, videtq́;
Harum progreſſus, eadem præſentia nectens
Venturis, penetrat ſubitò primordia rerum.

Poſthius.

Optima pars hominis Ratio eſt, hæc ſola guber-(nat

Bella foris, pacemq́; domi fæliciter: hac tu
Vtere sola, animiq́; omnes huic subijce motus.
Hæc regit instabiles insana per æquora naues,
Hac dominatur equis auriga ferocibus, illa
Vsus homo sæuosq́; docuit iuga ferre Leones.
Sola homines Ratio Dis immortalibus æquat.

* * *

Affectus Ratio Regina domare feroces
Debet, & ingenua frena tenere manu.

Scopperus.

Scilicet vt mens est ita pectore concipit intrà
Quilibet ex factis spemq́; metumq́; suis.

Reusnerus.

O quantū est animos regere, & frænare feroces,
Quodq́; videt mēs & quod probat, ōne sequi.
Quicquid agis sit mens tibi Dux, ratioq́; magistra,
Nā sinè mēte bonū cernere nemo potest.

* * *

Multum vis animi sed plus Sapientia præstat,
Quæ cum consilio cuncta, modoq́; gerit.
Quē ratio non ira mouet Dîs proximus ille est:
Plus Ratio, stulto robore, recta valet.
Mole sua, vis consili sese obruit expers:
Cui pectus sapit, hic vtilis esse potest.

VVenigerus.

Diuersos diuersa iuuant, non omnibus annis

Omnia

Omnia conueniunt, vt Vatum carmina dicunt.
Deficit infantem robur rationis, & vsus:
Exultat leuitate Puer: scit tertius ordo
Quid deceat, quid dedeceat: delecta Iuuentus
Excipit igne faces, consumit munera Bacchi.
Mens inuicta viro est, studijsq; asperrima belli,
Quærit opes, rerumq; senex grauitate potitur:
Decrepitum decet esse pium, decet esse seuerum.

Mediolanensis.

Mens bona mæroris nunquam lethalia sentit
Vulnera, nec grandi pondere pressa ruit.
Gaudia vera fluunt proprio de pectore, vana
Vbera lætitiæ non aliena capit.
Non quærit sitiens externi gurgitis vndam,
Cui fons interior pocula pura parat.



TITVLVS VII.

Parænesis de Prudentiâ, eius officijs, & consilio.

An

Ales.

Ante transiero vigilans Prudentia, morum
Quæ regis imperio virtutes, qua sinè vitam
Degere nemo sacram poterit, nec tangere finem
Postremum, caliq́; vias, & regna beata?
Crediderim pecudes, sinè te qui viuere posse
Se credunt: quis enim, si desis, transigat æuum
Nō pecudes imitans, quibus est prudētia nulla,
Quæq́; suū dapibus ventrē præsentibus explent?
Ipsa tuas vires finito referemus apertè:
Vt quantum valeas toto vulgetur in orbe.
Diceris en habitus vera ratione gubernans
Iudicioq; graui Mortales, actio cuius
Ad virtutis iter celerat, moresq́; probatos;
Hanc igitur meritò virtutis dixeris artē, (nat.
Quas premit imperio, & cura stimulāte guber-
In quocumq́; bono, seu sors tibi tradidit illud,
Seù natura dedit, seù fertur id vtile multum,
Seù vitam generat lætam iucunda ministrans,
Nomine seù veri semper teneatur honesti,
Quid fecisse iuuet, solers Prudentia semper
Indicat, & rectè quæsitis edocet vti.
Prospera nè quemuis extollant, dictat: acerbis
In damnis animos firmat: succumbere turpè
Aduersis monstrat: didicit contemnere sortem:
Pauperieq́; iubet pressis sufferre molestum
Paupertatis onus: naturæ damna retundit.

Morbo

Morbo ſeu querulo corpus vexetur, & ægrum
Aſſiduè iaceat, ſeu ſint turpiſſima quæq́;,
Nos monet hæc animo forti toleremus, & æquo.
Nititur & Fortunæ reſponſare ſuperbæ.

Vnius hæc virtus hominis ſi dirigat actum,
Simpliciter, quanquam credi prudentia debet,
Attamen ipſa mihi, doctiſq́; Monaſtica, fertur.
Ritè domum quoties eadem, iuſtèq́; gubernat,
Oeconomo detur, nomenq́; petatur ab illo.
At ſi perbellè ciues moderetur honeſtos,
Hæc de Ciue ſuum capiet prudentia nomen.
Sed quæ iure domum regit, eſt ſublimior illa,
Vnus homo ſeſe qua demum iure gubernat.
At reliquis ciuilis erit fulgentior, ergò
Vnanimes illam meritò celebremus honore.

Nunc quod opus generet ſolers prudẽtia pau-
Expediam verbis. primum conſultat acutè; (cis
Conſilio quæ ſint recto perſpecta, ſagaci
Iudicio cernit, tandemq́; potiſſima ſumit,
Aut meliora legit. Poſt hæc examine iuſto
Quæ didicit, curat vigili facienda labore.
Nunc age conſilio quæ ſint coniuncta feramus,
Promptiùs vt cuiuis liceat dignoſcere rectum
Officium, ſinè quo quid eris niſi bellua frendẽs?
Si mens defuerit, nullum conſiſtere dices
Conſilium. Brutis nec enim conceditur vti
Iudicio: nam ſunt diuinæ expertia mentis.
Tali ſolus homo donatur munere Diuum,

Non

NonPrudens de fine petit, dum consulit, illum
Ante sibi statuit: neq; de præsentibus vnquam
Cõsultat: siquidem dubio remouentur ab omni.
Nec de præteritis vllum Prudentia quærit
Consilium: quis enim possit prohibere fuisse
Præteritum, postquã penitùs transisse videtur?
Quod si consilium de re quis suscipit vlla
Præterita, similis dic nonnè videbitur illi
Vulnere qui accepto clypeum prætendit ahenũ?
De re, quam fieri nullo constabit in æuo,
Non est consilium: quis enim quæsiuerit vnquã,
Si possint homines fieri durissima saxa?
Si quid perpetuò maneat, dubitauerit vllus
Si fieri possit? minimè, nisi desipit idem.
Quis vocat in dubium si nunc animalia simus
Nos homines? etenim res est notissima sensu:
De medijs igitur finem spectantibus vnum
Consulimus, quæ mente iuuat spectare sagaci,
Aptiùs vt finis positus succedere possit.
De medijs consulta petes, finita manere (retur
Quæ liquet: haud animo cuiquam transire da-
Immensum volucri: de solis ergò futuris
Consulito rebus: si quas contingere posse,
Consilioq; graui proprio persæpè moueri
A cursu videas: nam quod contingere posse,
Atq; labore tuo tandem consurgere nosti,
Consilio licitum est id vestigare sagaci.
Quod vires vltrà fuerit nixumq;, relinque,

Deniq́; consilium prudens cepisse negatur
Ambiguum, nisi nouit rem succedere posse.
Hanc simul ad fixum rectè pertingere finem:
Haud secùs ac metam debet nouisse viator.
Dehinc quibus id mediÿs possit succedere quærit,
Euentusq́; animo varios & mente volutat:
Vt si cum diro tentaueris icere fœdus
Hoste, petes medium, quo res perfecta sequatur:
Quam si diuersa fieri ratione licebit,
Multis ex mediÿs assumes optìma quæq́;.
Vno si medio rectè succedere tota
Res queat, expediet quonam succedere pacto
Hoc possit medium vigili perquirere mente.
Rursus diuiditur rerum Prudentia doctis.
Totius siquidem quæ vitæ prospicit omnes
Partes, huic Græci tradunt Eubulìa nomen;
At quæ iudicio leges meditatur easdem
Et noscit, Synesin veteres dixere Pelasgi.
Quã Γνωμην vocitãt, latio Sentẽtia verbo
Dicitur, & legem, cum deficit illa, tuetur,
Legis & autoris quæ sit Sententia prodit.
An nihil hæc præter de te Prudentia dicam?
Imo age, quas liqui vires reserabo lìbenter.
Non memori penetras animo generalia solum,
Singula sed lustras tacito sub pectore voluens.
Singula quin etiam cernis generalibus ipsis
Sæpiùs, hisq́; tuum tempus largiris, & addis
Si cui contigerit præclara scientia rerum,

Quid

Quid vetat hũc hominẽ prauũ nequãq; videri?
Nullius ingrederis solers Prudentia pectus,
Nî vitæ studeat sanctæ, virtutis & arctum
Ingrediatur iter, cælos quod tendit in altos.
Exornet quamuis hominum Sapientia mentes,
Atq; recludat iter vitæ Prudentia nostræ,
Et sophiæ multum solers Prudentia cedat,
Non erit at morũ virtus, Prudentia nostros
Nî premis imperio sensus, iussuq; coërces.
Nec mirum: quoniam comes es virtutis amœnæ
Implicitasq; tuo retines Prudentia nexu
Virtutes, hominum claris quæ moribus adsunt.
An prudens fuerit, qui se non temperet vllis
Rebus ab illicitis? minimè. Prudentia solers
Hisce perit, tenuesq; citò vanescit in auras.
Cum rectos igitur seruet Prudentia mores,
Nosq; sua ditione regat, nil deniq; recti
Hac sinè succrescat, quod sit virtute coruscum:
Huic operam demus, noctesq; diesq; feramur
Huius amore, polos tandem veniemus in altos,
In quibus vsq; frui vitâ felice licebit.

PARS



PARS QVINTA.

De vita beata, & qua via inuenienda.

TITVLVS I.

In Deo lætando, & ab eo primordia agendi capiendo.

Blyenburgius.

In Deo lætãdum & cæleſtia ſperanda.

Lætus agas, diuina colens præcepta Tonantis
Liber, ab æternâ lætabere morte redemptus
Tandem, cùm cernes cæleſtia ſacra beatus.

Chytræus.

Omnia ſunt vani vaniſsima gaudia mundi;
Felix, qui in ſolo gaudet, ouatq́ Deo.

Non

Decimator.

Non metuas rabido graſſantem Dæmona rictu,
Nil quam peſtifero ructat ab ore luem.
Non metuas tumidi fremebunda catharmata
Murmura nil rabidis īpetuoſa minis.(mūdi,
Non metuas rigidi furialia prælia Martis,
Prælia mota ſolo, prælia mota ſalo.
Non metuas, trepidans, tetra murmura bōbar-
Nō metuas ſæuâ ſpicula iacta manu.(darum,
Tu modò freta Deo medio lætare tumultu,
Is tibi ne dubites, tutor & vltor erit.

Bollingerus.

Nì ſata grana trahant mortē proiecta per agros
Intereunt, effæta manent, nec falce ſecantur:
Contrà ſi pingui fuerint emortua ſucco,
Vbere proueniunt fructu, vitamq́ reſeruant.
Qui ſolo gaudet vitæ terreſtris Amore,
Hanc miſer amittit ſtudio deceptus inani:
Aſt animam, dum terrêna compage tenetur,
Qui conſtans odit, ſaluam ſeruabit in æuum,
Vſq́ ad perpetuæ cæleſtia gaudia vitæ.

Scriuerius.

Viue Deo: Fati ſi vis protenlere fines,
Atq́ nouâ vitâ poſt tua fata frui. *(felix*
Quidquid agas hoc lætus agas duce & auſpice:
Vita tibi, ſi illum ſponte ſequaris, erit.

Incipe

Incipe,& efficies illius præstite sancto
Flamine,famosum si meditaris opus.
Is Bonus Euentus:quem non placabis acerrâ
Thuris,sed sola mente colendus erit.
Mens facit hunc facilem,non magni victima
Illius Agna Hœdus nîl in Amore valet.(Tauri,

Apherdianus.

Semper ab æterno nobis primordia agendi
Sunt capienda Deo.
Nam sinè diuinis humana industria rectè
Nil facit auspicijs:
Hinc & Gentiles olim dixêre,priusquam
Aggrederentur opus:
Feliciter ad sint Superi,nos nostraq́; dextrô
Numine facto regant.
Tu quoq́; sic eius verbo qui cuncta creauit
Sollicitabis opem,
Vt tibi succedant feliciter omnia:frustrà
Tunc nihil incipies:
Progressu facili perages,lætusq́; laborum
Exitus omnis erit.

Pollio.

Mente Deus colitur mundâ,si polleat intùs
Vera fides,fideiq́; decus benefacta sequantur,
Hoc illi templum placet,hanc sibi consecrat ædē
Spiritus interni purgans penetralia cordis.

Campanus.

Viue Deo plebs ſancta Dei, cæleſtia quære,
Vita hominis vapor eſt, gloria noſtra cinis.

Billius.

Tædia quem mundi teneãt, reperire quietem
Si velit, in ſolo Numine quærat eam.
Vera quies cælo fixa eſt, ac fallitur ille
Sedibus in noſtris qui putat eſſe locum.
Qui mundi curas, mundi medicamine curat
Hunc album Æthiopem reddere velle reor.
Namq́; nouas ſordes trahit hic, qui tædia mẽtis
Vt pellat, mundi gaudia vana capit.

* * *

Infera quæ volitat, nimiũq́; ad pabula vergit,
Retibus aut viſco protinùs hæret auis.
Qui nimis eſt vẽtri, rebus quoq́; deditus imis,
Hunc facilè in caſſes pertrahit arte Sathan.
Si cupis ergò tuam è tanto diſcrimine mentem
Eximere, & vitæ conſulis ipſe tuæ:
Fac ſemper mens alta petat, ſurſumq́; feratur:
Sic auceps tendet retia vana tibi.

Reuſnerus.

Nil deſperandũ Chriſto Duce, & auſpice Chri-
Spes bona dat vires mæſtaq́; corda leuat. (ſto,
Mundus vt inuidia rumpatur: vt arduus æther
Cor-

Corruat, vt frangat se Stygis atra palus,
Spes tibi dat vires: fortem Patientia reddit,
Quæ firmant animos in mala cuncta tuos.
Disce Deo, quicunq; sapis, confidere soli:
Qui, quæ ferre iubet pondera, ferre facit.

Montanea.

Hic puteum fodit a tergo cum lympidus astet
Et puræ, & semper fons salientis aquæ.
Non aliter falluntur & hi, qui aliundè salutem
Sperant quam a Christo fonte salutifero.

Hortulanus.

Nil felix, lætum, nil est ex asse beatum
Quod Deus auxilio non regit ipse suo.

Vtenhovius.

Nil adeò sine mente, nihil sinè numine Diuum
Euenit: à Superis ceù fonte cadentia largo
Omnia proueniunt, Superi mortalia curant;
Scilicet omnipotens Deus ad fastigia rerum
Euehit, euectos quotiès vult, mergit ad imum.
Solus & agricolam de Rege potente misellum
Efficit, & Regem de paupere sæpe colono
Excitat egregium.

Mediolanensis.

Virtutũ facunda parẽs bonitatis amica est,
Flucti-

Fluctibus in medijs anchora fida rati.
Vndiq; cum sæuit turbo nil restat agendum,
Quam diuina oculos figere mentis ope.

Stroza Filius.

Hic quicunq; Deum supplex affatur, ab illo
Incipiat: versoq; in eundem fine quiescat.

Chytræus.

Quicquid agas, aut suscipias mandata Iehouæ, Agendi primordia a Deo capienda.
Et promissa, minasq; eius spectanda tibi antè
Quã cupidè incipias. Quod si Domino illa pro-
Agnoscas: non incipito modo ritè, sed vrge (bari
Propositum, optato claudantur vt omnia fine.
Sin minùs: absiste incepto, licet illa probarint
Cuncti in mundo hominès, tibi quod nihil ante supremum
Iudicis æterni poterit prodesse Tribunal.

Fidlerus.

Hic nihil est lætum, nil felix, nilq; beatum,
Subsidium si non sit, faueatq;, Deus.

Bolschenius.

Nullius est felix conatus, & vtilis, illum
Si Deus auxilio non regit ipse suo.

Moninus.

Gratus Deo fit, voce decentior

Qui nouit altis figere mentibus
Spiclum, Æoliq́; instar furentes
Voce queat pepulisse ventos.

Curnerus.

Dulcia felicis lucratur gaudia vitæ
Qui solida Christum nouit amare fide.

Porsius.

Omne sub auspicio susceptum Numinis almi
Successum sortitur opus, finemq́; secundum.

Palingenius.

Est prima Virtus, prima est Sapientia, Regem
Cælicolū, patremq́; hominum cognoscere, amare,
Synceroq́; animo laudare, timere, precari.

*　　　*　　　*

Is qui serò sapit frustrà sapit; ociùs ergò
Pro se quisq́; Deo studeat virtute placere,
Terrenisq́; bonis spretis cælestia quærat.

Hospitalius.

Frustrà operam impendet confisus viribus alter
Ingenij, patrijs inflatus legibus alter;
Demissos animos Deus & non magna professos,
Nil se sponte sua moliri posse fatentes
Diligit, his aperit potiùs se, datq́; tuendum.

Præcep-

Castilionus.

Præcepta Deorum
Nec fas nec tutum est spernere velle homini.

Hessus.

A Domino speranda salus, opus ille salutis
Solus habet; vita hinc, non aliundè venit.

* * *

Omnipotens trutina vitas examinat æqua,
Approbat ille bonos, improbat ille malos.

* * *

Qui Dominũ metuunt hos respicit ipse, nec vn-
Deserit, hostili nec sinit arte premi. (quam



TITVLVS II.

Pietatem ac pacem colendo.

Reusnerus.

Sufficit, & casus Pietas perdurat in omnes: De pietate, fide, & viro pio.
Armaq; dat constans & sine labe fides. (stis:
Plus Dominus verbo, quã vi valet efferus ho-
Si cælestis adest gratia præsto, sat est.

* * *

Non eſt vera fides, quam iactitat ore, malignus
Pectore: non eſt hæc vera, Philippe, fides.
An Sol eſſe poteſt ſinè lumine? & an dare flammas
Ignis lucentes, abſq; calore poteſt?
Monte ſitam celſa, quis non, niſi cuculus, vrbem
Conſpicuam caſtris, turriculiſq́, videt?
Lampada ſub modio quorſùm cælare coruſcam
Attinet? in tenebris quæ benè monſtrat iter?
Lux fidei ſunt ſancta opera: hac ſinè luce, beata
Nulla fides: nec ſunt ſancta opera abſq́; fide.

* * *

Iuſtitiæ Stephano cum ſancto ferre coronam
Si cupis, & dignè nomen habere tuum?
Sis pius, & ſoli Chriſto confidere diſce:
Et vitæ ſanctæ laude placere Deo.
Diſce tuæ fidei rationem reddere: diſce
Pro Chriſti verbo triſtia quæq́; pati:
Spernere mortales curas, cælumq́; tueri
Diſce: & amare bonos & liberare malos.
Si facis hoc, rectè viuis, moreriſq́; beatè,
Et tibi iam cæli regia magna patet.
Quâ Deus in ſanctis ſua numina ſancta coronat
Sic Stephani meritò nomen & omen habes.

Montanea..

Firma ſtetit ſubnixa Deo, fracta impete venti
Concidit, humana fulta columna manu.

Sic

Sic perit expectans hominum virtute salutem:
Fide Deo, nunquam spes tua tibi vana cadet.

Billius.

Vir pius aduersis rerum non frangitur vndis,
Imò etiam flammas prouocat & gladios.
Non etenim ritu puerili dulcia quærit,
Sed, quæ sunt Animæ pabula certa, cruces.

* * *

Ante diem cupit Elias decedere vita,
Ante diem Dauid, Paulus & ante diem:
Tædiaq́; exilij lacrymis testantur acerbis,
Quodq́; moras faciat Mors tenebrosa dolent.
Poma velut Domini dextrā matura requirunt,
Arbore, præq́; suo pondere, sæpè cadunt:
Sic pietate graues, meritisq́; insignibus optant
Ante diem vitæ claudere morte diem.

Schellenbergius.

Alma fides mundum vincit, supereuolat astra,
Expugnatq́; Deum, cogit & omne dare.

* * *

Primum sancta locum Pietas habet edita cælo,
Dulcis alumna Dei, fida ministra Dei:
Optima virtutum, quā quisquis possidet vnā,
Vt careat reliquis, sat facit ipse Deo.
At quarum alma choro Pietas excluditur omni,
Laus & virtutum gratia tota perit.

Qui

* * *

Qui pius non est, nocet esse doctum,
Artibus iunctis Pietas colenda est,
Nì Deum discas, metuasq́;, nil est
Cætera scire.

* * *

Hic benè qui Christum didicit, doctissimus ille est,
In quauis alia sit licet arte rudis:
At Doctrina Dei cui non est cognita, nil scit,
Sit Phæbo & Musis doctior ille licet.

Chytræus.

Viue piè, spera benè, rectè cæde, pudicè
Ora: sic viues, & moriêre benè.

* * *

Viue piè, quicunq́; mori feliciter optas:
Vtq́; piè discas viuere, disce mori.

Bolschenius.

Laus artis, Genij decor, et bona cætera sortis
Salua manent, Pietas si tribus vna comes.

Siberus.

Extremis Pietas serò condiscitur annis,
Inualuit longa cum scelus omne mora.
Qua testa imbuitur primū noua, seruat odorē:
Et Pietas reliqui temporis acta regit.

* * *

Res

Res præclara quidē est linguas didicisse diser-
Artibus & cultum pectus habere bonis.(tas,
Inter enim quid erit nos, & ratione carentes,
Nate, feras, proprias nî tueamur opes?
Abstergent nostræ cœnum caliginis Artes
Dantq́; oculis clara luce videre diem.
Iudicium formant, simul ignorantia veri
Barbariesq́; animo, quæ fuit antè, fugit:
Tollitur asperitas:(quæ res pulcherrima) mores
Naturæ culti conuenientèr eunt.
Iam quid facundæ verò quam gratia linguæ,
Oris quid tersi pulchriùs eloquio?
Quo iudexq́; grauis, lecti patresq́; trahantur,
Cui victas Reges dent populisq́; manus?
Nec tamen hæc veræ contendere gloria laudi,
Altera qua nequeat maior & esse, potest.
Maxima laus pulchro pietatis Amore teneri,
Maxima cum Christo gloria nosse Deum.
Hoc sinè quid prodest, sua si tibi carmina donet
Phœbus, & Aoniam Calliopea chelyn?
Quid magni scriptis animū emēdasse Platonis,
Et Stagera tui dogmata scire senis?
Esse quid instructū prodest Demosthenis armis
Grande quid Ausonio cum Cicerone loqui?
Artibus ornatus Stygias penetrabis ad vndas
Nempè, grauisq́; supèr te manet Ira Dei.
Non satis ergò puta, Phœbi lustrare recessus,
Castaliamq́; vmbram, Pieridumq́; choros.

Sit tua cura Deum cognoſcere prima parentem:
Iſta tibi noctes auferat, iſta dies.
Hunc tamē vt noris, ſtudeas cognoſcere Chriſtū:
Qui nouit Chriſtum, nouit & ille Patrem.
Huic ſanctis ſupplex precibus te trade, tuoſq́;
Huic grates memori pectore ſemper age.
Det, pete, ſacra tibi diuini munera Flatus,
Qui vitium ex animo diluat omne tuō.
Mente Dei prompta verbū perdiſcere, quicquid
De veraq́ docet relligione queas.
Tum bonitas homines tua ſe diffundat in ōnes,
Quaq́ alios poteris parte iuuare, iuua.
Quàm pietate decet iuſta coluiſſe parentes,
Quoſq́ loco patrum iuſſerit eſſe Deus:
Quam decet & factis et dictis eſſe modeſtum,
Officio aſsiduum muneris inq́ ſui.
Sobria vita, animi patientia, dextra benigna,
Sunt partes mentis, ſignaq́ certa piæ.
Ad quæ ſi linguas, & iungas ſedulus artes,
Et bonus & iuſtus, non modò doctus eris.

Bochius.

Minus eſt ſeruare laboris
Quam violare fidem: violata, negotia ſemper
Auctori facit illa ſuo, premit, atq́ prementem
Læſa fides proprio lædentem ſauciat ictu,
Et percuſſa ſuo de percuſſore triumphat.

Viue

Posthius.

Viue pius, magnoq́ animo contemnere mundū
Immundum, ac ſoli fidere diſce Deo.
Iuſticiam ſanctè colito dum vixeris, & nìl
Fraude doloq́ malo turpiùs eſſe puta;
Vtq́ tui curſum peragas felicitèr æui,
Et Veneri, & Baccho, pone gulæque modum.

Bollingerus.

Qui præcepta Dei ſequitur pietatis amator,
Hunc Deus orantem prōptas admittit ad aures.

* * *

Ad breue tēpus adhuc vobis lux clara refulget:
Rectas ergò vias audaci carpite greſſu,
Dum Iubar illucet, quā nox priùs irruat atra,
Et vos inuoluat denſa caligine tectos.
Qui metitur iter cæca de nocte viator
Errat, quaquè pedes flectat veſtigia neſcit:
Dum Lux eſt vobis, ſplendenti credite Luci,
Vt de lucifero ſitis Genitore creati.

* * *

Sola fides interna latet ſub pectore clauſa.

Montanea.

Viua fides, vſuq́ & fructu commoda multo
Proficit: at nullum mortua præſtat opus.
Iuſticiam dat viua fides, ſed mortua damnat:
Ergò tuam factis diſce probare fidem.

Magna

Moſcellus.

Magna quidē res eſt Facundia, res quoq́; magna
Doctrina eſt: Pietas vincit vtrumq́; tamen.

Borbonius.

Quiſquis flagrat amore veritatis,
Obſeruans fidei, atq́; perſeuerans,
In vera pietate nec labores
Pro Chriſto refugit, moleſtiaſq́;
Omnes, ſi ſupereſt viciſſitudo
Rerum, illum manet à Deo corona.

* * *

Æs, ferrum, argentum, argento pretioſiùs aurū,
Eruta de terra cuncta metalla vides:
Omniaq́; in terrā redeant, pereantq́; neceſsè eſt:
Sola animi Pietas permanet astra petens.

Torrentius.

Cæleſtes animos, cæli decet aſtra tueri,
Illo certa ſibi fonte petenda ſalus.

* * *

Securior quo quiſq́; viuit,
Hoc melior propiorq́; cœlo eſt.

* * *

Felices animi cæli quos cura remordet,
Et facit erectum tollere in aſtra caput.
Addiſcent illìc vitæ fomenta beatæ,
Addiſcent vnum noſce & amare Deum.

Buchananus.

Non ſceptra ſpectat, non parentum ſtemmata,
Decuſuè formæ, aut regias opes Deus.
Polluta nullo corda ſed contagio
Crudelitatis, fraudis, & libidinis:
Hoc ille templo ſpiritus capitur ſacer.

Hecquetius.

Ingenium felix, rerumq́ scientia diues,
His tantum proſunt qui Pietate valent.

Exhagus.

Vir pius innumeris alijs eſt dignior vnus,
Hunc legit & lectum tollit ad aſtra Deus.

Reuſnerus.

Lis odium generat, concordia nutrit Amorem, De pace, & concordia.
Ceù ſociam vitem Palladis arbor amat.

* * *

O quantum eſt, animis cõcordes viuere Fratres,
Quod vult vnus, vt hoc, mox velit alter idē.
Nempè cauēt, ſenſus offenſio nè qua propinquos
Diſtrahat: aut temeret lis inimica fidem.
Sic virtus vnita valet: fortunaq́ Fratrum
Incolumis, mens hic dum manet vna, manet.

Moninus.

Iuſtum opus eſt, turbæ ſua tradere ſenſa nouenæ:

Iu-

Iustum opus est, seruare fidem patriæq; lariq́;
Iustum opus est, clarij coluisse liquoris amantē:
Iustū opus est, vt amicus amet, quod amarit amicus.

Incertus.

Esto pacificus, & pacis semper amicus.
Cum cunctis pacem debet seruare tenacem
Pax confert vitam lætam, mentemq́; quietam.



TITVLVS III.

Vitium fugiendo, & futura meditando.

Grudius.

Virtus si cordi est, consortia sperne malorum.
Haud bonus est prauos quisquis amare potest.
Viuere vis insons? scelerum contagia vita;
In media fiet nix quoq́; nigra pice.

Burchius.

Assidua ante oculos si mortis oberret imago,
Ac vitæ finem mente frequentet homo,

Por-

Perpendatq́ꝫ vnam certo moderamine legis,
Et rigido iussu stare cuiq́ꝫ diem;
Auius à scelere, & vitiorum labe feretur,
Omnem peccandi negliget illecebram;
Virtutiq́ꝫ animum & rebus sacrabit honestis,
Vt moriens vitæ præmia digna ferat.

Bollingerus.

Ne quicquã cernunt quibus est mens crimine (cæca.

* * *

Quisquis se turpi vitio contaminat, ille
Seruitium vitij suffert.

Stoa.

Viuamus omnes conscij
Sortis labantis vndiq́ꝫ,
Ne quando nos extemporè
Mors imparatos occupet.

Chytræus.

Hæc semper benè sunt homini meditanda fideli,
Perpetuò vt norit, se, nec sua crimina propter
Desperare Dei de mente & corde paterno:
Virtutes etiam nec sese extollere propter,
Aut meritum debere suum iactare, quibus suis
Sed noxis, næuisq́ꝫ suis, pænisq́ꝫ tremendis
Iustitiã & meritũ, mortemq́ꝫ opponere Christi:
Hisq́ꝫ ipsis lapsantem animum firmare, fideq́ꝫ
Erigere

Erigere, & certò sibi persuadere, quod absq; (sti
Virtute aut meritis proprijs, per vulnera Chri-
Omnia gratuitò obueniant: cadat ira Iehouæ
Diffugiat terror Sathanæ, mortisq; dolores,
Inferniq; horror: redeat pax astrica, dulcis
Eudoxia, in cunctis & sufficientia rebus,
Quîs hominum cōtenta salus, syncera voluptas,
Pura quies, & perpetuæ mera gaudia vitæ.
Vt sit Christus Amor, Christus decor, ōnia Chri-
Sit nobis miseris, miseræ telluris alumnis. (stus

Incerti.

Degeneri vita, vitam corrumpere vita,
Ne vitæ merita demerearis ita.

* * *

Prospice ventura, nec erit frustrà tua cura,
Cura matura vitabis plurima dura.

* * *

Prorsus & absq; mora vitium remouere labora.

* * *

Corrige præteritum, præsens rege, cerne futu-
rum.

TITVLVS IV.

Mentem, ingenium, siuè animum exercendo.

Pictorius.

Aduersus Stigij dolos tyranni
Quæ sint arma petis, Marî, doceri?
Thorax est: tumido carere fastu.
Cassis: ceu sibi proximùs adesse.
Scutum: castiferam tenere mentem.
Lorica est: animo pati sereno,
Cum fortuna graui furit flagello.

Adamæus.

Aduersus Stigij nulla satellitis
Fraudes insidias, præstigias, dolos,
Armatura pijs hac melior viris.
Pectorale: Dei purus, & integer
Cultus, stare sui pro meritis Dei.
Thorax ferreus est: mens humilis, pia,
Nulliusq; mali quæ sibi conscia,
Æquum, iustitiam, ius habet & bonum
Sanè in delicijs non mediocritèr.

Est

Est Caſsis: ſtudium nobile proximi
Illæſum remanens intolerantia.
Prudens ſimplicitas, menſaq́ ſobria,
Contentum propria ſorte quieſcere,
Faſtiditus honos ſunt Frameæ loco.
At verbum domini ſit Gladius pijs.

Burchius.

Si qui homines ſuperare ſtudent animãtia bru-
Illud conari, debent nitiq; ſupremè (ta,
Ne tanquam pecora in terrã procliuia, quæq́
Natura ignauo ventri parentia finxit,
Obſcuram ducant per muta ſilentia vitam:
Conſtat enim rebus vis omnis noſtra duabus,
Corpore nempè, animoque: obedimus iuſsibus
Vtimur obſequijs illius: corporis vſus (huius,
Cum brutis nobis cõmunis: Mens, animuſquè
Cum Diuis: Quare longè præſtantiùs amplam
Auxilio ingenij viuacis quærere laudem,
Quã vanis niti membrorum viribus: & cum
Qua fruimur ſit vita breuis, feruente labore
Hoc agere, vt nunquã moriturũ linquere nomẽ
Poſsimus: Nã forma & opes ſunt fluxa caduntq́:
At virtus æterna atquè immortalis habetur.
Verum anceps fuit antiquis, verèque agitata
Quæſtio: Militiæ in rebus corpus nè valeret
Plùs, an vero animus? Nã nil tentare priuſquã
Conſilium dictarit, vbi dictarit idem mox

Per-

Perficere, & fini mandare decet Sapientem.
Sed certè corpus mentis poscitquè vicissim
Corporis auxilium Mens, & coniurat amicè.

Posthius.

Mentis est velut laterna corpus.
Ergo plumbea ne sit illa, neuè
Tibi saxea sit caue, ne inepta
Obscuret nitidum Laterna corpus.

Mameranus.

Humanæ mentis vis atq; industria, quid non
Excelsa virtute potest? quænam inuia rerum,
Abstrusa & prærupta arcana volumina, quænã
Implicita in sese, quæ non comprehendere possit.

Reusnerus.

O quam difficilis res est, & plena pericli
Inuida mens, & auara, superbaq; monstra domantur
Quæ si non virtute animi, probitateq; vitæ,
Cum fama, res, atq; fides mox interit omnis.

Petrarcha.

Quid facies præclara iuuat, si turbida mens est.

* * *

Rara quidẽ ingenij bona sunt semperq; fuerunt,
Semper erunt, paucos altum tenuisse videmus.

O Imper-

Stroza Filius.

Imperfecta animi vis est & plena laboris,
Affectus praua à teneris in crimina pronus
Corporis, & mentis longo certata labore
Prælia, quæ nigra dirimat vix Atropos hora.

Mantuanus.

Mēs virtutis inops, mare piscibus, alite cælum,
Syderibus mundus, gramine terra carens.

Eucharius.

Aurea cordis
Ornamenta sedent animo, non fucus adulter.

Læsius.

Sïs animo pulcher, formæ non dote superbus,
Vnica formosos mens generosa facit.
Æternum durat quæ mentem forma pudicam
Ornat, & in tenero corpore forma perit.

* * *

Corpora quid demens externis dotibus ornas,
Quas dura rapiet Parca seuera manu?
Ingenium viuax, magnis virtutibus orna:
Hæc est ad summum semita certa polum.

Biges.

Diuitiæ nec honos, nec multa peritia rerum,
Sed nos felices mens sinè labe facit.

Cons-

Capilupus.

Conſcia mens recti nullo turbata timore eſt.
* * *
Seſe ſuper æthera tollit,
Qui potis eſt animos perdomuiſſe ſuos.

Eucharius.

Omnia habet qui nulla cupit, locupletior eſt qui
Contentus propriis, quam qui ditiſsimus: omnes
Collabuntur opes: bona mens nec mortis acerbæ
Terretur iaculis, nec Fortunæ timet aictus.

Decimator,

Mens ſibi fœdæ
Conſcia culpæ
Angitur vſq;,
Vſq; tremiſcit.
Si coma forſan
Arbore vulſa
Turbine venti
Quaſſa gemiſcat,
Horret, & hoſtem
Credit adeſſe.
Qui temerato
Auferat ipſam
Corpore vitam.
Mens ſibi verò
Conſcia recti,

Dulcia ſecum
Gaudia verſat.
Non timet hoſtis
Verba minacis:
Non timet atræ
Spicula mortis:
Non timet horrens,
Turbida ſæui
Fulmina Martis:
Non timet atri
Tecta colentem
Infera regni:
Non timet alto
Vertice quamuis
Corruat horrens
Murmure vaſto
Quaſſus Olympus.
Nam ſibi certò
Credit adeſſe
Qui regit alti
Sydera cæli,
Qui regit amplæ
Climata terræ.

Crucius.

Arbitror ingenijs quoddam, quod ineſſe palatis
Aſſolet, vt quæ non ſint meliora probent.
Fercula non ſemper quamuis benè lauta palatis

om-

Omnibus, at ſapiunt vilia ſæpè magis.

Schellenbergius.

Sunt vigor, & facies, diuinæ munera dextræ,
Viuida quæ forma membra decente creat.
His tamen æthereæ prior eſt præſtantia mentis,
Et virtutis honos, ingenijq́; decus.

Vt plumbo ſilices, vt plumbum viliùs auro,
Sic cedunt animi cætera cuncta bonis.

Dedekindus.

Qui nimis abiecto eſt animo, fractoq́; videtur
Ingenij dotes non benè noſſe ſui:
Mox et inexiguo comtemptus habetur honore,
Qui poterat ſummum clarus habere locum.
Quantus quiſq; ſibi eſt, alijs quoq; tãtus habetur
Sub pedibus qui ſe non leuat, ipſe iacet.

Vranius.

Eſt homo natura ſimilis, non corpore, vino,
Verſibus vt lepidis Græcus Alexis, ait.
Vt muſtum minimè purũ eſt, minimèq; ſalubre,
Eiectis nondum fæcibus inde malis:
Cum defæcatum fuerit, factumq́; vetuſtum,
Fortiùs eſt ſumptis viribus, haudq́; nocens.
Sic iuuenilis adhuc ætas in pectore ſordes
Immundo retinens, non moderata videt.
Aſt vbi longa dies purgauit pectus ab iſtis,

Sor-

Sordibus, ac purum reddidit absq; luto,
Tum sapit, & positis affectibus, utile quid sit
Perspiciens animo, cuncta decentèr agit.

Moermannus.

Si seruire voles, cunctisq; placere peroptas,
Seruiat ex animo mens tibi gratus eris.
Namq; animus facilis curas lenire molestas
Nouit, nec sentit tristia prompta manus.

Andrelinus.

Cui prouida mens est
Haud dormit rebus, ceu glis hybernus, adeptis.
Parta fluunt, præceps cursu velut vnda citato,
Ni cura inuigilet totum irrequieta per annum.

Iouius.

Quod si magnificæ deerunt tibi munera formæ,
Vincere disce animum, tu quoq; magnus eris.

Mancinus.

Mens errat quoties Ratio non imperat, & cum
Quæ bona sunt cernit deteriora petens.

Vrsinus.

Animæ est venustas corpore præstantior.

* * *

Præstat decori corporis mentis decor.

Si

Si cupis ornari virtutibus Heliodore,
Vince animũ et corpus, disce, stude, & vigila.

Duetus.

Errat opes quisquis solidas hoc quærit in orbe,
Pectoris exceptis, ingenijq́; bonis.
His opibus poteris magnos acquirere census:
His opibus tolles clarus honore caput.
Instabilis Fortuna rapit, quæ contulit vltrò,
Ingenij nusquam destituêre bonis.

Floretus.

Sit tua mens munda, semper meditatio sancta,
Actio sit iusta, nec non intentio recta.
Commoda sint verba, sit conuersatio grata,
Sit placidus gestus, gressus maturus, honestus.

* * *

Vincere cor proprium plus est quam vincere mundum.

TITVLVS V.

Rectè, & moderatè vivendo, ac interdum requiescendo.

Aulæus.

Recte, siuè honestè sobriè iustè, ac moderatè viuendum.

Viue voluptatis expers, & amator honesti,
Sic animo & pariter corpore sanus eris.

* * *

Gloria fama, decus, gestæ sinè crimine vitæ
Præmia sunt, auido non peritura rogo.

Capitius.

Eia agite, ambiguas vitæ dum carpitis horas,
In meliusq́ datur mentem, ingeniumq́ referre,
Nè illecebræ incautos miseræ, ne obliuia fallant
Vos recti, & fugiens Euro non segnior ætas.

Casa.

Si te cura vigil Sophiæ delectat, & acre
Ingenium vires si sufficit, vtere porrò
Munere tam claro Diuum: sit rectiùs atq́

Com-

Commodiùs multò, longè q́; decentiùs æui
Quod tibi cunq́; neant Parcæ victurus amicæ.
Nec de te plebis quæ sit sententia, magni
Securus pendas: ignarum pleraq́; vulgus
Prauo metitur modulo: tu neglige & isto,
Qui nunc te exercet, fugias decedere campo.

Sambucus.

Omnibus est cautè iungenda modestia rebus,
Laudatur medio sæpè stetisse loco.
Ardua qui tentat sinè pennis decidit, alas
Quod non aptatas queis veheretur, habet.
Quis non Dædaleos currus, temerariaq́; ausa
Rideat exemplo suscipiatq́; minus!
Ergò quicquid agis tuta ratione probato,
Exempliq́; memor fac tueâre modum.

Stroza Filius.

India quid gemmas, quid Hyberia proruis aurũ?
Nè texas Babylon vesteis nè Dædala Memphis
Serica multiplici depingas stamina filo:
Sãguineæ hinc coëunt acies, hinc funera Mauors
Excitat, & fœdo incestat mortalia planctu, (sis
Hinc odia, hinc fastus, hinc Regibus imminet en
Tuta dies, placidæ tecto sub paupere noctes.
Hanc olim in terris egerunt numina vitam,
Fraga dabant montana cibum, lapidosaq́; corna.
Aurea tum rebus fulsit concordibus ætas,

Ille

* * *

Ille diu vixit qui dum cælestibus auris
Vescitur, implet onus laudis, cælumq; meretur.

Grudius.

Corporis atq; animi totidem fert commoda secū
Temperies victus: quot gula damna parit.

Reusnerus.

Si sapis, esse tua contentum sorte memento,
Intrà Fortunam disce manere tuam.
Quem natura locum tribuit, satis esse putato:
Si, quod habes, nō vis, iā miser esse potes.(um?
Nā quid habes, quod nō habeas quoq; numine diu
Et quò plura negas tu tibi plura feres.

Guielermus.

Est onus omnis honos, idem res lubrica semper;
Et curis comitatur amaris.
Celsa ferit ventus, non sunt sublimia tuta,
Alta cadunt grauiore ruina.

Chytræus.

Viuere si benè vis sempèr, sic viuito vt optas
Continuò in vera speq; fideq;, mori.

* * *

Testis eris mēdax nunquam mēdaxuè susurro,
Aut percunctator, quem dira calumnia pascit,

Nec condemnabis temerè, & te iudice quenquã.
Sed benè si poteris, facies cuicunq; : nocebis
Ex animo nulli: iustos constantèr amabis:
Flectere si nequeas prauos, vitabis eosdem;
Aut illos (bona si spes sit) tolerabis amicè.
Deniq; cuncta piè, castè, iustè atq; decentèr,
Non pœnam metuens, sed Christi vnius amore,
Sic perages: non in proprios intentus honores,
Gloriolamq; leuem, vento quæ turget inani,
Vnica sed per te Christo quo gloria crescat.
In vita quoq; ciuili statione, locoq;
Sis contentus eo, tibi quem diuina voluntas
Assignat: neuè officio, vel viribus aude,
Aut cupito maiora tuis. sublatus in altum
Lapsu etiam grauiore rues, sed plana tenentem
Quis te præcipitet? medio tutissimus ibis.

Petrarcha.

Viuere post mortem, violentas spernere Parcas,
Dulcia sunt, fateor, sed nomine viuere nil est;
Viuite, sed meliùs, sed certiùs: ardua cæli
Scandite felices, miserasq; relinquite terras.
Hic vos vita manet, quã secula nulla mouebũt,
Quam nec tristis hyems, nec noxia torqueat æs-
Anxia sollicitã quã non opulentia reddet, (tas,
Querula nõ mæstam paupertas, pallida nõ Mors
Obruet, aut nocuo vexabunt sydere morbi
Corporis atq; animi, sinè tẽpore viuite: nã vos,

Et

Et magno partum delebunt tempora nomen.
Transibunt citò quæ vos mansura putatis.
Vna manere potest ô, casus nescia virtus.
Illa viam facit ad Superos, hac pergite fortes,
Nec defessa graui succumbant terga labori.
Quod si falsa vagam delectat gloria mentem,
Aspice quid cupias: transibunt tempora, corpus
Hoc cadet, & credẽt indigno mẽbra sepulchro:
Mox ruet & bustũ, titulusq́; in marmore sectus
Occidet, hinc mortem patieris, Nate, secundam.

Blyenburgius.

Tu cum nõ posses vel habere vel esse quod optas,
Optes quid posis esse & habere simul.

VVolfius.

Optima sunt nobis mediocria: summa periclis
Obuia, contemptum sordida vita parit.

Morus.

Scilicet extremis longè mediocria præstant,
Infima calcantur, summa repentè ruunt.

Erasmus.

Verum aut decorè viuere ingenuum virum
Decet, aut decorè oppetere mortem.

Codrus.

Male viuenti, maiora parantur

Suppli-

Supplicia, & meritis requies datur; hoc vbi corpus
Exuerint animæ, & fastigia sacra capescent:
Viuendum est igitur rectè: et seruanda supermi
Sunt præcepta Iouis, requiem dant illa feruntq́;.

Mutius.

Spernite opes, inquam, ac variarũ nomina va-
Delicias rerum, & contagia diuitis auri, (næ
Versantisq́; orbem & mortalia cuncta trahẽtis,
Otia, desidiam, sæuiq́; Cupidinis arma.
Felix qui potuit Cereris contemnere dona,
Et latices Bacchi, morbos & bella ferentes,
Ac tolerare sitim, & ieiunia longo suëtus.
Corpoream imminui molẽ, & mortalia sensim
Membra tulit gaudens vinclis, & carcere cæco
Exonerasse animũ, ac volucrẽ super æthera fer-
(re.

Capilupus.

Fraudis expertem, & sceleris fuisse
Rebus in duris homini est malorum
Dulce leuamen.

Boba.

Constantèr actæ non sinè gloria
Vitæ innocentis præmia percipit,
Et læta post multos labores
Colloquijs fruitur Deorum.

Præ-

Politianus.

Præmia certā manent iustos, rata pæna nocētes.

Cælius.

Vt tibi mors felix contingat viuere disce:
Vt felix possis viuere, disce mori.

Iovius.

Virtutis sectanda via est, vitiumq́; fugandum,
Præmia digna bonis, pæna parata malis.

Muretus.

Virtus & solidum quiddā est, & corpore cōstās,
Æqua sed est vmbræ gloria fluxa leui.
Hanc igitur quisquis neglecta amplectitur illa,
Huic magè quā corpus corporis ūbra placet.

Hessus.

Iudicijs inopes defendite, suscipite orbos,
Adserite oppressos, iustificate pios.

* * *

Exue si quid habes quod nō decet, indue quod te
Esse hominem faciat, non sinat esse feram.

* * *

Fallit inutilibus desumpta laboribus ætas,
Præcipua est virtus optima posse sequi.

Blyenburgius.

Viuit honos, sunt virtuti præconia digna,

Fama

Fama vehit celebres non moritura viros.

* * *

Pauperiem potiùs tollas ad sydera iustam,
Quam Phrygij iniustas Laomedontis opes.
Iustitia est etenim pretioso dignior auro,
Pestiferis minimè consociata malis,
Hoc tantum prodest, donèc dant viuere fata,
Post cineres atros illa manere solet.

Morualensis

Pax dabat otia, sacra negotia cultus agrestis.
Terra legumina, pocula flumina, singula restis.
Obsequiũ pecus, hospitium specus, ordea victũ,
Herba cubilia, petra sedilia, pellis amictum.

Musius.

Terra, mensa, & cubile,
Terra, scamnum, & sedile,
Terra oratorium:
Herba cibum, vnda potum,
Arbor vestem, antra notum
Prabent domicilium.

Schellenbergius.

Mens inimica fuit vitijs, virtutibus æqua,
Norat & in cunctis rebus habere modum.

* * *

Nec nasci tantum benè, sed benè viuere rebus

Et laudabilibus vigiles impendere curas,
Nobilitatis opus generosæ iudicat esse.

Mediolanensis.

Intrepidus casus contemnere tutus vbiq́; est,
Huic patria est magni fabrica tota globi.

Meijerus.

Numina quod tollunt humiles, sternuntq́; super
Consultum nobis hac ratione volunt: bos,
Nam superare modum, certosq́; excedere fines,
Haud vlli tutum vel sine peste fuit.

* * *

Si simus nostra contenti sorte, videmur
Credere nos curæ, præsidioq́; Dei.

Brismannus.

Impetus ad laudem ratione regēdus & arte est.

Andrelinus.

Qui niueam æternum famam propagat in æuũ,
Serior annoso Nestore functus erit.

Borbonius.

O homines, ô Mortales incedite rectè;
Odit qui bonus est impia facta Deus.

* * *

Maturè propera; rebus modis omnibus adsit,
Sic

Sic tibi se virtus vt superata dabit.

Fungerus.

Non felix ille est, cumulos qui possidet auri:
Reddere felicem fata suprema solent.
Creditur hoc quondam Crœso dixisse Solonem,
Cum summas stolidus commemoraret opes:
Non itaq; in rebus Sapiens spem pone caducis,
Omnia nam mundi sunt fugitiua nimis.
Quære viam recti, contortos despice calles,
Intrabunt Stygios corpora fœda sinus;
Cura vt conueniat claro cum stemmate virtus,
In Domino spera, & præmia magna feres.

Floretus.

Omne malum vita, bona fac, & erit bona vita.
Quamlibet ætatem, niti decet ad probitatem.

Incerti.

Qui plus expendit quā rerum summa repēdit,
Non admiretur si paupertate grauetur.

* * *

Prodigus est prauus sed peior fertur auarus,
Tu medium retine, modus est seruandus vbiq;

* * *

Viue carens vitio, tanquam sis cras moriturus,
Disce vacans studijs, quasi vita non cariturus.

Sambucus.

Est cunctis requies tribuēda, nec omnibus labore Interdum requiescendum.

Horis ſunt repetẽdi, animus ſimul otio leuãdus.
Sic pingues oleæ ſua pignora nõ ferunt quotãnis,
Alternis ſed, & arua noualia per vices quieſcũt.
Nil durare poteſt ſinè cõmoditatibus remiſſis.
Arcum ſi nimium, ſubitoq; velis, diùq; tenſum,
Frãgetur, feret haud alias volucres deĩ ſagittas.
Laxes nec nimium tamen, ocia plurimũ nocere,
Quippè ſolent, faciuntq; habiles minùs vſibus ſeueris.
Ergò eſt optima temperies, mediumq; vtrinq́; ductum.

Iunius.

Temperiem cunctis adhibe, remoram inijce: ſi ſis
Celer nimis, velocitate tempera moram.

Guiliermus

Arcus qui nimium flexus erit diù
Non bellè iaculabitur.

Porcelius.

Et ſolet interdùm laſſata quieſcere virtus,
Dum mentem & vires colligit illa ſuas.

TITVLVS VI.

De vita beata, & quis felix, siuè beatus.

Burchius.

Vitam quæ facerent beatiorem
Ethnico cecinit vetustus olim
Sed non illepido Poëta versu:
Verum rectiùs hæc monet docetq;
Ille Euangelicæ magister Artis,
Promittens fore tèr quatèr beatos,
Quos fecit sua pauperes voluntas,
Queis mite ingenium, & quieta mens est,
Qui tristi mala quæq; corde lugent,
Qui præ Iustitiâ nihil requirunt
Quos sortis miseret malæ propinqui,
Qui purum sceleris maligni habent cor,
Qui pacis studio atq; amore flagrant:
Hos omnes fore prædicat beatos,
Ille Euangelicæ magister artis,

Vita beata omnium hominum.

Iunius.

Vitam quæ faciunt beatiorem

Delectissima Christiane sunt hæc:
Purus Numinis, integerq́; cultus.
Peccati fuga pertinax: suiq́;
Syncera agnitio, ac vicis caducæ.
Mens curis vidua, & vacans Deo vni;
Stans Christo, studiumq́; proximi ardens.
Fastiditus honos; suaq́; sorte
Contentum trahere otium quietum.
Perferre intrepidè hosticos furores.
Aulæ temnere purpuram dolosam:
Clamosumq́; fori timere murmur.
Nudus veri Amor, aureæq́; pacis.
Prudens simplicitas, torus pudicus:
Mensa haud prodiga, nec proterua luxu.
Summi postpositus metus diei.

Flaminius.

Nè tu beatum dixeris, optime
Saulì, superbo limine ciuium
Qui prodit hinc & hinc caterua
Nobilium comitante cinctus.
Non si feracis occupet Africæ
Quicquid prealtis conditur horreis,
Gemmasq́; lucentes, & auri
Possideat rutilos aceruos.
Nec ille felix, qui valet omnium
Causas latentes cernere, sidera
Notare doctus, & profundas

Ingenio

Ingenio penetrare terras.
Sed tu Beatum iure vocaueris
Qui mente pura ritè Deum colit,
Eiusq́; iussa ducit amplis
Diuitijs pretiosiora:
Non ille vulgi gaudet honoribus,
Sed carus ipsi Numinis est honos,
Pro quo tuendo non recusat
Dedecorum genus omne ferre.
Quin et relictis cœtibus vrbium,
Mens eius altum transuolat æthera,
Deiq́; summi, cælitumq́;
Colloquio fruitur beato.
Cæle stis ergò iam Sapientiæ
Plenus, periclis altior omnibus
Quiescit in Deo, furentum
Despiciens hominum tumultus.
Sic præliantes æquore turgido
Ventos reducto montis in angulo
Miratur, & gaudet procella
Terribili procul esse pastor.

Sambucus.

In vita nihil est diù fuisse,
Curas namq́; vides laboriosas.
Cautus perpetuis studeto rebus,
Mittas quæ rapida feruntur aura.
Constans nil nisi credidisse summo

Qui

Qui firmus resìdet Parenti Olympo.
Nè spes fixa sit in leui columna,
Sed quæ sustineat domum, trabesq;.

Hermannus.

Hæc Pylî, vitam faciunt, seruantq; beatam,
Christus principium rerum, effectorq; salutis.
Diuitiæ modicæ, modico sudore paratæ,
Non ingratus ager, mens & sibi conscia recti,
Aurea pax semper, lis nunquam, noxq; soluta
Curis, ingenuæ vires, corpusq; salubre.
Prudens simplicitas, non structis fercula mēsis,
Conuictus facilis, similes in amore sodales:
Non tristis thalamus, sed nō minor ille pudicus,
Somnus qui minuat longas arctetq; tenebras,
Quod sis esse velis studeas nec maior haberi
Quam sis, nec metuas aut optes vltima fata:
Christus sit finis rerum, effectorq; salutis.
Hæc, Pyli, vitam faciunt, seruantq; beatam.

Musius.

Verè quæ faciunt virum beatum
(Christo credere si magis velimus,
Illis quam nimìs Ethnicis Poëtis.)
Illustrissime Maxmiâne sunt hæc:
Mens non ambitiosa, sed modesta,
Nec fracta improbitatibus malorum,
Admissi sceleris dolor perennis,

Ardens

Ardens esuries, sitisq́ recti,
Fratris commiseratio indigentis,
Cordis mundicies, cupido pacis,
Propter iustitiam pati libenter.

Scriuerius.

Adscribi numero Beatiorum
Si vis, optime Gratiane; cordi
Sit tibi Pietas, Deiq́ cultus,
Eiusq́ Agnitio, Timorq́: porrò,
Quam sit follicularis & caduca
Vita omnis, meditare; tuus & illam
Hâc nostrâ in Superis perenniorem
Labore assiduo improboq́ nisu
Constantèr tibi quære: deindè curæ
Sit casta Integritas, Benignitásq́
Munis, Sobrietasq́, Comitásq́,
Amor pauperum, Amorq́ proximorum,
Liberalis & efficax Voluntas.
Turbarum in medio quietus æstu,
Fac sis, & Patriæ fidelis; inter
Clangorem litui, tubæq́ murmur,
Pacem dilige, fistulasq́ Phœbi
Musarumq́ anima chelyn Doli expers;
Absit Seditioq́, Factioq́,
Absit Fraus, mala Mens, malusq́ Liuor,
Fastus, Ambitio, Sitisq́ nummi,
Assentatio, Fucus, imò Fumus,

Quem cuiquam caue vendere è popello,
Sic nunquam poteris, perire Fumo.
Fasces despice, Purpuramq́; vulgi
Inanem fuge Gloriam aucupari.
Noli quenquam hominem calumniari;
Frons sit integra non inusta ferro.
Sic sic, optime Gratiane, fas est
Adscribi numero Beatiorum.

Susius.

Adeste nati, Audite: vobis Numinis
Verum timorem vt indicem:
Quicunq; curis liberam & longam cupis
Vitam beatus ducere,
Linguæ refræna virus, os nefariâ
A fraude purum contine:
Capesce recta, curua vita: dilige
Tranquilla pacis otia.
Deus innocentes aspicitq́, & commodat
Intentus aures ad preces:
Toruo scelestos intuetur lumine,
Et nomen etiam obliterat.
Et quisquis hostis est piorum, cum domo
A stirpe cæsus interit.
Animas tuetur se colentiam Deus,
Nec rem, domumq́; deserit.

Apherdianus.

Vitam ducere qui cupit beatam,

Et ſentire minùs moleſtiarum:
Imprimis placidus ſit, & benignus,
Blandæ pacis amans probroſa vitet
Ates iurgia, tetricaſq́ lites,
Et diri comitem furoris iram.
Nullius ſtudeat nigrare famam.
Non Bacchum colat, aut Cyprim proteruam.
Non veſana cupido, nec ſacra auri
Mentem ſollicitet fames, ſed eſto
Contentus modicis: nihil requirens
Vltrà quod ſatìs eſt, potente Craſſi
Arcâ ditior hoc modo futurus.
Non ſeſe efferat inſolentèr: intrà
Fortunam maneat ſuam, nec extrà
Se quærat: titulos ſuperbiores.
Gentis ſtemmata, gloriamq́ rerum
Non curet; quoniam peribit omne
Mundanum ſubitò decus: manebit
Virtus ſola, ſequetur hæc ad aſtra.
Non ceſſet precibus Deum inuocare:
Illius legat, audiatq́ verbum.
Soletur viduas: opem pupillis,
Afflictiſq́ ferat. Patri ſupremo
Hoc verè poterit modo placere.

* * *

Chriſtigenam ſi te verum præſtare labores,
Sedulus Aſtræam cum pietate colas:
Diuinas leges obſerues, atq́ profanas,

Queis

Queis sinè perfectè viuere nemo potest,
Ne mireris opes, nec carnis gaudia quæras:
Obuia pauperibus sit tua larga manus.
Assiduis precibus diuinum Numen adores,
Et voluas sacros nocte, dieq́; libros.

Lemannus.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Et vestigia quæ hinc ad astra ducunt,
Iucundissime Christiane sunt hæc.
Qui purus scelerum integerq́; vitæ,
Quod iustum est facit: atq́; veritatem
Syncero loquitur subindè corde.
Qui non ore solet calumniari:
Vicino mala nec facit, nec æquam
Delatoribus exhibebit aurem.
Qui prauos nihili æstimabit, omni
Laudantes Dominum afficitquè honore:
Qui fidem temerare pactam abhorret:
Vsuræ grauis hostis, & rapinæ,
Nec munus super innocente quærens.
Hæc, hæc quæ facit haud mouetur aulâ
Æternum pia mens beatiore.

Seydelius.

Tranquillæ vt videas mediocria tempora vitæ,
Hæreat hæc animo Regula fixa tuo.
Viue tua semper contentus sorte, nec vltrà

Quem

Quem Fortuna dedit progrediâre locum.
Si tibi sunt nec opes, nec splēdida fercula Crœsi,
Exiguo poteris te satiare cibo.
Præclari titulos si non es adeptus honoris,
Proderit in tenui delituisse loco.
Tu solum Domini committas omnia curæ:
Euentus ceptis hoc duce prosper erit.

Vulteius.

Cui in vita fuerint boni parentes,
Fratres vnanimes, piæ sorores,
Omni in re fidei integræ sodales:
Coniunx sobria, docta, casta, simplex,
Nati candiduli, atq; diligentes
Serui, quod satis est opum, nec vltrà
Quid, cui talia contigere poscat,
Nil desideret, ambiat, voletq;:
Hunc quæso, ante obitum negas beatum?
Cunctis ille beatior beatis
Credendus venit atq; iudicandus.
Felix quisquis eos habet parentes.
Felix cui vnanimi obtigere fratres.
Felix quisquis eas habet sorores.
Felix quisquis eos habet sodales.
Coniux cui data talis ille felix,
Felix quisquis eos habet puellos.
Felix quisquis eos habet ministros,
Felix cui sua sors satis, nec vltrà

Quid

Quid, cui talia contingêre, poscat:
Hos nunquem esse putas beatiorem?
Dicto, si doceas, tuo ac quiescam.

Borbonius.

Quisquis viuere vult benè, et beatè:
Pura mente Deum colat, suoq;
Contentus, studeat nocere nulli:
Succurrat miseris, bonos sequatur:
Mores corrigat, aut ferat malorum,
Forti pectore gaudeat q; sempèr.

* * *

Quisquis sorte sua lætus cælestia quærit
Regna, Deo fidens, ille beatus homo est.

Fungerus.

Tempora quæ reddunt vitæ felicia nobis,
Hæc sunt quæ curto carmine Musa canet.
Res testamento obueniens, non parta labore, &
Qui triplici semen fœnore pensat ager:
Perpetuus focus, & tractum sine litibus æuum,
Raró vrbis longa mœnia adire toga.
Ingenuæ vires, mens vndiq; libera, corpus,
Quod non indiguit Pæonis arte sacra:
Simplicitas prudens, similes ætate sodales
Et studijs, lauta qui caret arte cibus:
Non expers villi; & crapulæ, curisq; soluta,
Hinc castus thalamus, tristitiaq; carens:
Qui-

Quiq; breues faciat noctis sopor esse tenebras,
Nec metuas summam, nec tibi posce diem.
Quod sis esse velis, contentus viuere disces
Sorte tua, felix sic quia semper eris.

* * *

Vt Studiose scias, quo pactò Iudice Christo,
Felicis possis conditione frui:
Audi, agedũ, magni quænã fabricator Olympi
Suadeat, hæc vitæ sunt documenta tuæ.
Si quandò in dubijs spes est tibi noxia rebus,
Teq; velut cassum proterat hostis ope.
Erige depressam mentem, Dominumq; precare,
Ipsa etenim cunctos Numinis vmbra tegit.
Ille fauet clemens miseris, & ad ardua pandit
(Quam semel insani deseruêre) viam.
Non confide viris, nec equis, nec curribus vllis,
Sed sit in æterno spes tua fixa Deo.
Sperne voluptates, & vanos desere folles,
Diuitijs nullis mens saturata cadat.
Non odium fatale geras, hostiq; rependas,
Si fuit in famam sæuior angue tuam.
Fædera pacis ama, hanc animus sitibundus an-(helet,
Iustitiam toto pectore quære tibi.
Fac foueas Fratres, dextra succurre benigna,
Larga Eleemosynas distribuente manu.
Hæc sunt quæ ex cælo Christus Deus attulit al-to, vt
Felici possis conditione frui.

Non

Blyenburgius.

Nō decet hunc dici, cui sint bona multa beatum,
Sed cui; mens sano in corpore sana manet.

Adamæus.

Vitam quæ faciunt beatiorem.
Si me scire petas docente, sunt hæc:
Nil debere cui: nihil timere,
Diuos quam Superos, eosq; solos.
Constans mens, animus suus, vigaxq;
Sensus, parta quies, & aucta virtus.
Coniux vel stabilis vel vsq; nulla.
Insano genius carens amore.
Mores ingenui, probata fama.
Veri cognitio, timorq; falsi.
Vires perspicuæ, decora membra.
Nil sperare magis, minusuè velle
Quam vel Sors dederit, vel Ars parauit.
His accedat & adsit vna semper
Perfectæ ratio, scopusq; vitæ.

Amerbachius.

ita beatitudio-rum. *Vitam quæ faciunt beatiorem,*
Hæc sunt, ô studijs Puer dicate:
Cultores fidei sacræ parentes.
Baptismus pius, institutioq;
Mens non indocilis, tenax voluntas
In recto, pietas, fides, amorq;

Spes

Spes, fiducia, cum Dei timore,
Libertas animi, quiesq́ mentis,
De vita benè gaudium peracta,
Mansuetudo, modestiæ decorum,
Perdurans bonitasq́, castitasq́,
Constans durities crucis ferendæ:
Rectrix sedula suauium bonorum
Virtus, grata superbiæ remotrix,
Et quæ sunt aliæ chori sorores
Virtutum, comites viæ piorum.
At non diuitiæuè, copiæuè,
Non splendor generisuè, sanguinisuè,
Non facundia, forma, non voluptas,
Non corpus validum, celerq́ cursus,
Non villæ, nec agri, nec arua, campi,
Arces, oppida, castra, signa, miles:
Non plausus populi, theatra, ludi,
Non victoria non frequens triumphus,
Non suffragia, supplicationes,
Non decreta, patres, forum, potestas,
Non collegia, non sodalitates,
Iudex, concio, cum sacro Senatu,
Album, curia, dignitas, honores,
Et non Imperij decus vel ipsum,
Hæc vitæ miseræ statum gubernant,
Et non impediunt parum futuram:
Sed nouisse Deum, Deiq́ natum,
Et verè simul induisse Christum,

Deces-

Decessisseq́ sic Deo renatum.
Hæc vitam, Puer, àdferunt beatam.
Et non deficient suæ petenti
Res, quæ corpus alunt q́ muniunt q́.
Vitæ nos docet ille sic Magister,
Qui nos morte sua sibi redemit,
Æterno genitus Deo parente
Christus, verus homo simul Deusq́,
Hunc totis animi, Puer, colendum
Credas viribus, & colas Iesum.
Vires hic studijs tuis ministrat;
Vt felicitèr, hic facit, labores.
Artes nam didicisse liberales
Prodest, cum iuuat ille, dirigitq́.
Post multos etiam dabit labores
Hic vitam Pueri beatiorem.

Latomus.

Vitam quæ faciunt mortalibus esse beatam,
Hæc quisquis numero fortè requiris, habe:
Res rellicta tibi, proprio nec parta labore,
Et sata qui multo fænore reddat ager.
Non operosa domus, sed mundo culta parata,
Et qui perpetuo luceat igne focus.
Omne superuacuum ductum sine litibus æuum,
Raraq́ principibus cura placere viris.
Libera mens, cura vigili, pectusq́ quietum,
Ingrauæ vires, robora firma satis.

Corpo-

Corpora Pæonij quæ non sunt indiga succi,
Integritas membris constet vbiq; tuis.
Prudens simplicitas, vsus consortis amici,
Conuictus facilis, qui valet arte cibus.
Libera nox curis, non ebrietate soluta,
Non tristis thalamus, castus at ille tamen:
Somnus qui faciat non longas esse tenebras,
Vnde tuas vires restituisse queas.
Quod sis esse velis, hinc nil prælegeris unquã,
Nec tua formides fata nec illa vetes.

* * *

Hæc sunt mortales, ipso vel Iudice Christo
Quæ faciunt læta conditione frui.
Qui neq; diuitias animus, neq; curat honores,
Atq; odia offensus non inimica gerit.
Peccati dolor assiduus, luctusq; perennis:
Ardens esuries Iusticiæ, atq; sitis.
Auxilio miseri fratris pia cura fouendi,
Nullis fœda malis pectora, pacis Amor.
Et grauis infestos hostis tolerare furores,
Rectum Iusticiæ quod gradiaris iter.
Hæc sunt Mortales ipso vel Iudice Christo,
Quæ faciunt læta conditione frui.

Lotichius.

Est iucunda beatitudo vitæ,
Libros inter & optimos amicos,
Quos iungit bona comitas, & vnà

Delectatio rebus ex eiſdem:
Et Muſæ, veneresq; tranſmarinæ.

Capilupus.

Vita beata ſenum.

Vita ſenis, benè culta domus, benè cultus agellus,
Paruaq; odorato cella repleta mero.
Nec tenui in menſa iucundus deſit amicus,
Qui ſimul ad cælum tempora priſca ferat.
Huic etiam ſopor interdum, lepiduſq; libellus.
Sit comes, in ſcamno dum ſedet ante focum.
Stetq; nepos hilaris gremio, & det mollia collo
Brachia, & annoſis oſcula mille genis.
Lectulus & ſomnos inuitet nocte ſalubres,
Et veniente die dulce querantur aues.
At vigil hinc cura, & lateri dolor abſit acutus,
Nec tentet vetulos tarda podagra pedes.
Mens vigeat ſemper, non vlla obnoxia fraudi,
Floreat & firmo pectore ſancta fides.
Si bona tanta Seni tribuet qui temperat orbem,
Regis honos illi deſpiciendus erit.

* * *

Sit mihi, quæ niteat domus, & qui floreat hor-
Conditaq; exiguis vina falerna cadis. tus,
Et dape non empta mecum contentus amicus
Laudibus extollat facta vetuſta ſenex.
Atq; oculos quādoq; premat mihi ſomnus ad ig-
Dum verſo patrij nobile vatis opus. (nē,
Inq; ſinu ludens teneris mihi colla lacertis

Im-

Implicet, & libet paruulus ore nepos.
Detq́; mihi requiẽ nocturnis lectulus horis,
Et volucres lætos Sole oriente modos.
Hinc fugiat morbus nulla sanabilis arte,
Sit dolor hinc lateris, sit quoq́; cura procul.
Nec mihi mens vnquam languescat cõscia recti,
Viuat & æternùm firmior alma fides;
Si tot dona seni, dederit mihi Rector Olympi,
Optandæ magni non mihi Regis opes.

* * *

Vita senis, redolens hortus, iucundus amicus,
Dulce merum, mollis lectulus, alma fides.

* * *

Vita senis, libri, domus, hortus, lectus, amicus,
Vina, nepos, ignis, mens, auis, alma fides.

Bochius.

Fortunate senex, actæ quem gloria vitæ
Sic iuuat, vt lethi non sit acerba dies.

Politianus.

Felix ille animi, Diuisq́; simillimus ipsis, Quis felix, siuè fortunatus.
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Sollicitat, non fastosi mala gaudia luxus:
Sed tacitos sinit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla silentia vitæ,
Vrbe procul, voti exiguus, sortemq́; benignus

 Ipse

Ipse suam fouet, ac modico contentus aceruo,
Non spes corde auidas, non curam pascit inanẽ,
Securus quò sceptra cadant, cui dira minentur
Astra, & sanguinei iubar exitiale Cometæ,
Non illum fragilis fauor, indocilisq; potenti
Plebs seruare fidem, euectum popularibus auris
Casuro imponit solio, nec ducit hiantem
Hùc illùc vanos ostentans purpura fasces.
Nõ mentem pauet ipse suam, nec conscius omnes
Exhorret strepitus, nec edaci pectora culpa
Carpitur occultè: non opportunus iniqui
Iudicio vulgi, aut celsa conspectus in arce
Degeneri pater Inuidiæ: non ipse vicissim
Obliquo liuore macet, fætusq; veneno
Æstuat, atq; aliena oculis bona limat acutis.
Rure agit in vacuo, spatijsq; indulget aperti
Ætheris, aut operi insudans, aut ille supinos
Euadẽs cursu in montes, hinc scilicet omnes
Gratæ epulæ; nudis Acheloum in pocula palmis
Aduocat, excussæq; cibos dant brachia syluæ,
Et fessa in duro renouantur membra cubili.
Maior quippè venit comitata labore voluptas,
Nec satias dominã aut fastidia lęta sequuntur.

Marius.

Felix, quem populi de tempestatibus atris
Ereptum, claro sistit Sapientia cælo.
At nos indoctæ sequimur vestigia turbæ,
Paruaq; miramur, quia nunquã cernere magna
Con-

Contigit, hinc vana deludit imagine mentem
Aut spes, aut metus: inuadit nunc falsa volup-
Nũc falsus dolor. imprimìs me torua feroci(tas,
Pauperies vultu terret, ceù tristis Erynnis,
Cum pauidũ flammis vltricibus vrget Orestem.
Sæpe loquor mecum, tacitusq́ hæc corde voluto:
Incipè sorte tua contentus viuere, tequè
Liber & impauidus Fortunæ oppone superbæ.
Nemo pauperie miser est, auroue beatus.
Oppressum morbo Chronulum de paupere lecto
Transffer in auratos thalamos & stragula picta:
Non tamen ægroto decedet corpore febris,
Impatiens æstuq́ amens vigilabit: at idem,
Cum validus syluis apros venatur, in alta
Hybernas noctes niue dormit suauiter: ægrum
Sic animum nec diuitiæ sanare valebunt,
Nec mentẽ sanam vel magna offendere egestas.
Quarè age; si charus Superis, si charus amicis
Esse velis, animum semper cole: cætera mitte.
Cuncta potest spreuisse aliquis, nemo õnia habe-
Ille opibus vincet Crœsos, illi fluet Hermus, (re.
Cui licuit contemnere opes: sunt deniquè certæ
Diuitiæ, Virtus, Sapientia: quas neq́ bellum,
Nec mors suprema potis est rapuisse fauilla.

Latomus:

Felices quorum Dominus peccata remisit:
Felices quorum crimina tecta latent,
Felix cui Dominus culpam non imputat vllam,

Cuius

Cuius & infida pectora fraude vacant.

Bellaius.

Felix qui patrio viuit contentus agello,
Nec tumidas captat semper auarus opes,
Hunc, hunc tuta quies ereptum mille periclis
Detinet, hic tacitus rura beata colit.
Non illum stulti terrent insomnia vulgi,
Nauita nec tristis, tergeminusq́ canis:
Sed puris manibus sanctas accedit ad aras,
Et flectit faciles in sua vota Deos.
Viue igitur felix, Dîs & numerandus in ipsis,
Quem Sophia in molli detinet alma sinu.

* * *

Felix, qui populi toto plaudente theatro
Viuus adhuc diram contudit inuidiam.

Lotichius.

Felix qui solis paruo contentus in agris
Degit, vbi proauis res fuit ante suis.
Nec pelagi scopulos, nec acerba pericula nouit,
Nec liquor æquoreæ quam sit amarus aquæ.

Vulteius.

Viuere vis felix? Sapientèr viue, Bohere:
Nam fieri felix hac ratione potes.
Viuere vis castè? luxus contemne nocentes:
Hac castus fieri nam ratione potes.

Viue-

Viuere vis fortis? durum amplexare laborem:
Hac fieri fortis nam ratione potes.
Ille ego sum Lux, Christus ait, sum deniq; verū,
Sum via, vita, salus, pax, requiesq; boni.

* * *

Ruris delitias, & opes, rurisq; labores
Esse putas oculis grata theatra tuis:
Rura colam, dicis, pascam tenerasq; iuuencas,
Lactabitq; meas candidus agnus oues.
Prædiolis viuam: populi valeatis & vrbis
Commoda, quò possim viuere rura dabunt.
Exiguum pecus est, desunt armenta, nec illud
A cepto cursu me reuocare potest.
O te felicem multum, multumq; beatum
Agricolam! viues, & morière Deo.

Capilupus.

Tu mî videris esse Diuis proximus,
Chorisq; eorum iure dignus inseri.
Quod nullus auri pondere, aut honoribus
A recto & æquo te potest diducere:
Quod tu timore mortis, ipso à tramite
Virtutis, vnquam non recedis auius.
Quod omnibus sis dulcis atq; amabilis
Tuo lepore, et comitate, & moribus.

Schellenbergius.

O felicem hominis vitam ter & ampliùs illam!

(Sæpè

(Sæpe licet duras fert grauis hora vices)
Quæ syncera Dei cultrix, & conscia recti,
Diuinam voto supplice quærit opem.
Qui quod agit non arte sua, non robore fretus,
Numinis auspicijs omnipotentis agit.
Qui nihili aut odium facit, aut ludibria vulgi
Cui vanas infert liuida turba minas.
Ipse Deo fretus, facili sua cæpta tenore
Perficit, & mentis sunt rata vota piæ.

Lermæus.

O Fortunatus nimium, qui prouidus vrbis
Amentes curas, turbasq́ue æstusq́ue, reliquit,
Nec Regum motus, & aperta tumescere bella
Præsensit, terræq́ue frequens, Cererisq́ue sacerdos
Rura paterna iugis, & inempto sulcat aratro:
Non liuor, quæstusq́ue, fames malesana fatigat
Idem agri modus est, iustîq́ue cupidinis idem:
Nec gemma philtrum duxit, cæcosq́ue furores
Pro molli Choo, pro Nectareo Lesboo:
Insidiator abest mensis, nec lancibus aureis
Toxica decipiunt: pateræ caua sæpè ministrat
Palma vicē, at liquidi dulcissima pocula fōtes,
Castaneæ molles, & pressi copia lactis,
Eduræq́ue nuces adsunt, atq́ue insita poma
Condita stant subitis incondita fercula cænis.
Nec circumstrepuit raucis clamoribus amens
Turba togatorum nūmisuè exhausit habentem

Scylla

Scylla fori, gurges prædarum, & plebis hirudo.

Chytræus.

Viuere velle diù, est diuturno velle dolore
Torqueri, & peccare diù, factisq́ pudendis,
Et desiderijs, dictisq́ offendere Christum.
Ah! quanto est satiùs, meliùsq́ in flore iuuentæ,
Aut aliâs citò dissolui, Christoq́ perenni
Coniunctum in patria cælestem degere vitam,
Nullus vbi dolor est, peccandi nulla facultas,
Integritas vbi perpetua est, syncera voluptas,
Vera quies, & cunctarum pax optima rerum,
Perpetuiq́ adeò cælesti in pace triumphi:
Quæ qui consequitur felix & diues abundè est.

Marullus.

Felix quem neq́ turbidi
Bellorum strepitus, nec creperæ vices
Terrent, & grauis alea
Fortunæ, indocilis stare loco diù:
Sed sacri medius Chori
Musarum, facili pectore despicis
Praue quæ populus nocens
Miramur, neq́ voto, neq́ ponere
Ægris gnari animis modum,
Et res flagitijs soluere non suis.
Nam quæ tam fera pestilens,
Quam non ingenio vincimus improbi?

Vel

Vel pictas referas licet
Tygres, vel Lybicæ immane iecur Leæ,
Inter se probè obambulant,
Nec prædæ, nisi dum pulsa abeat fames
Naturale malum, incubant.
In diuersa furor scilicet omnibus.
Soli mutua vulnera
Exercemus, atrox soli odium in genus
Indignaq; cupidine
Cæci, Iura pij sanguinis, heu! modis
Turbamus miseri omnibus,
Ergo Ixioneis conditionibus
Versati assiduâ rotâ,
Pertusâ laticem querimus amphorâ.
Frustrà, quatenùs improba
Mentis cura eadem tempus in vltimum
Imis pectoribus manet,
Æquè certa foris, certa domi comes.
Nec quæ olim veteres pij
Commenti, lacubus sub Stygis vltimæ
Cuncta extrema merentibus,
Sentimus miseri nos mala perpeti.
Nam quid quæso aliud iecur vè,
Obscænæq; nigri vulturij dapes?
Aut saxum capiti imminens
Impuro, & medijs fluminibus sitis?
Quam congesta pecunia
Forsàn deteriori, & tituli graues

Men-

Mentis non ſatiabilis,
Pendentis dubiæ de ſtudio leui
Plebis vſq; Quiritium.
Hæc certiſsima uti ſunt, ita nos quoq;
Fatemur, bone Laſcaris.
Nam quis lucidum eat inficias diem?
Acres ſed catuli velut
Latratam ſemel aut vrſam Erymanthino in
Iugo, aut multiparam ſuem
Sectamur ſoliti quæ noceat mala.
Donec (ſed prius Herculis
Olim quos memorat fama laboribus
Infracti) gladio hoſtico
Soluamus miſera hæc membra anima graui.

Bonefonius.

Felix, qui procùl ambitu forenſi
Et curis procùl, vrbis & tumultu,
Ruris delicias, Barille, præfers.
Et nunc proptèr aquæ ſuaue murmur
Sectaris Dryadum leues choreas:
Nunc in vmbriferis vagaris hortis,
Et Lycorida, Leſbiamuè cantas.
O factum benè, ſic Barille viue,
Et cole otia, literaſq; ; ſtulti
Nil curans populi leues honores.

Stroza Pater.

Felix, qui ſacros tutus contempſit Amores,

Nec

Nec Dominæ insanum pertulit imperium.
Sed felix nimium rursus, nimiumq́ beatus
Si cui se facilem præbuit ipsa venus.

Guielermus.

Felix ô nimium, quem requiescere
Vmbris nil vetuit sub Heliconijs.
Non hic præcipites abripit improba
Mentes ambitio: nec stetit audiens
Plausus attonitus: magnificis neq́
Rostris obstupuit: non ebur Indicum,
Non aduecta Pharo marmora, non mouent
Vestes Sydoniæ: corda caret opum
Insano stimulo, nec cruciat metu
Vndosum pelagus: quippè cui ratis
Mercem nulla vehit. Sed neq; tristium
Irarum facibus conficitur, neq;
Obscuræ inuidiæ tabe miserrima
Marcessit: stupidis pectoribus ferus
Liuor perpetuus tortor, & eximit
Optatam requiem, cunctaq́ gaudia.
Nil iucunda animum Lux iuuat Inuidi,
Nil Bacchi sapor, & nil cytharæ leuant,
Quamuis & Phrygius pocula det Puer,
Et neruos digitus pulset Apollinis.
Non somno placido sollicitudinem,
Non lentis meminit soluere risibus.
Pungunt Eumenides, assiduus gemit,

Suspi-

Suspirat grauitèr, membraq́; viribus
Exhaustis fluitant, languida frigido
Sudore, horribilis corpore cernitur
Turpi cum macie pallor, amaraq́;
Informe os faciunt lumina tabidum.
Hac peste est vacuus tartarea, sacras
Musas quisquis amat. Cæceq; flammea
Idem temnit Amor tela, quibus tuis
Cedunt imperijs omnia: milliès
Arcus tende licet, delige spicula
Quis fulgent acies, haud superabitur.
Nec, fortuna, tuæ vim metuit rotæ;
Omni re spolia, tum patria fuga
Dulci, barbaricis deniq́; stringito
Vinclis, vsq́; hilaris vultus erit viro,
Quem nil mors etiam territat horrida.
Pallentum hic scelerum purus, abest nigris
Qui sontes agitant à cruciatibus.
Non spes pendula, non fœmineus timor,
Non turpis dolor, aut dira fames rei
Afflictare potest, esse negat sua
Quæcunq́; instabilis tollere Sors potest.
Virtutem sequitur, credulus: hæc vbi
Adsit, de esse nihil, credulus hanc bonum
Orandum Superos præterea nihil.
Hic vera fruitur (Iudice purpura)
Libertate, sibi pectora subijcit:
Nil inuitus agit, Rex animi est sui.

Hic

Hic verè locuples, vnus hic exstitit
Tandem, cui satìs est iudicio suo:
Hic demùm locuples: ô Superi boni!
Hæc nobis liceat poscimus assequi.
O mentes hominum, quo mihi tenditis?
Non auri hæc cumulus, sceptraq́; non dabunt.
Non huic tristificis corpora febribus
Arescent, fugient temperiem viri.
Viuet perpetuis non sinè gaudijs:
Defunctiq; animam læta manent loca.

Meyerus.

Felix angusto qui tramite vadit: Olympum
Perueniet cinctus tempora iusta rosis.
Quiq́; voluptatis calcat, nam dæmones astans
Terrebit, vis est tanta pudicitiæ.
Pectore qui puro, sensuq́; est simplice: mundi
Non reus, at contra censor & actor erit.
Illustris cui vita placet, non gloria: Christi
Nā similis, Christo proxima scamna premet.
Cuius in ore Deus semper, præceptaq́; legis:
Namq; Deo felix hospite semper erit.
Qui benè de multis, vt poscit quisq; meretur:
Nam Reus inueniet nulla patrocinia.
Virtutem qui non deprauat imagine falsa:
Iudicij quoniam nulla pericla timet.
Qui studet ornari virtutibus antè, tremendū
Quā veniat fulmen, quā tuba magna sonet:

Qui

Qui petit æternæ quam primum gaudia vitæ,
Vt ſtabile in terris comperit eſſe nihil.

Nerdenus.

Felices animis, ô terq́ quaterq́ beati,
Queis vero tandem depromere pectore voces
Contigit, æthereo quas plenus numine Paulus
Maximus, ac animo iam gaudia vera reſeruãs
Edidit. En vicina dies, extrema laborum
Meta mihi, iã tempus adeſt, quo corpore ſoluar,
Optatum, præclara datum certamina tandèm
Decertare mihi, tum conſummare beatum
Curriculum, ſeruare fidem ſub pectore ſanctã.
Quid ſupereſt, mihi Iuſticiæ manet ipſa ſupre-
mo, (rona:
Quæ mihi condecoret caput, abdita in axe co-
Quam mihi, qui Iuſtus, verboq́ fidelis, in illo
Promet habere die, capitiq; imponet ouanti.
O Felix Domino qui collaudatus ab ipſo
Audiet has hilari, facieq́ & pectore voces,
Eugè bone, & frugi mihi ſerue, ô, eugè fidelis,
Mens in pauca fidem, cerno, fuit edere certam,
Multa ſuper te conſtituam, iam in gaudia læ-
tus
Ingreditor Domini, tibi quæ deſeruo benignus.

Reuſnerus.

Felix, qui vitæ ſpem certam ponit in vno

Mortu-

Mortuus, & viuus tempus in omne Deo.

* * *

Felices animæ, quibus hùc contingit adire,
Quà Diuum coram corpora vera vident.
Non Venus, aut luxus, non has dãnosa voluptas,
Nec leuis Ambitio flexit opumq́; sitis.
Sed Pietas, virtusq́; Deo sic viuere iussit:
Quo liceat cælo viuere teste diù.
Illa Deûm sedes: hæc illis proxima, ment e
Qui viuunt similes, ingenioq́; Deûm.

* * *

Felix arrecta cælum qui mente tuetur
Fluctibus è tantis turbinibusq́; maris:
Namq́; metu rapidæ liber, Chyliane, procellæ,
In portu Christo nauigat ille Duce.

* * *

Sol vitæ Christus Deus est, lux Lucis amator,
Cuius nos fas est semper Amore trahi.
Felix cui Dux ille viæ cælestis adhæret,
Quem qui nõ sequitur Tartara nigra subit.

Montanea.

Felices meritò quibus est cor pectore mundum;
Fontibus æthereis lympha sed illa fluit
Quæ nitidos faciat: puro nam sanguine Christi
Supremo tantum conciliamur hero.

Porcaria.

Imperat ille Deo, Fortunæ & rebus & astris,

Qui

Qui sibi: nec patitur mentis sordescere lumen,
Vimq́; animi: imponit qui fræna libidini, & iræ
Ille quidē felix Princeps , & celsior omni (mis.
Imperio, & populis: opibus quoq́; maior, & ar-

Molinæus.

Felix quem modico ditem, nec sæua timentem
Funera, non onerant Gazæ, non æris acerui.
Sed casus celsa fidei despectat ab arce,
Qui pius, elatèq́; humilis, damnoq́; beatus,
Fortunæ mandat laqueum, sua munera terræ.

Aedicollius.

Ille beatus erit, qui se virtutibus ornat: Quis beatus.
Sed qui se vitijs inquinat, ille miser.

Mopha.

Quis vitæ Domino integer placebit?
Qui viuit macula sinè & querela:
Et qui Iusticiam facit, fidemq;
Bonis exerit, explicatq; factis.
Qui nil pectore continet dolosum
Fucatumq́; nihil, nihilq́; mendax,
Sed facit loquiturq́; veritatem:
Qui lingua neq́; detrahit cuiquam,
Nec quicquam facit alteri, sibi quod
Non lubens patiatur esse factum,
Quin neq; id fieri sinit, simùl q;

A se reÿcit alteri inuidentes:
Nam contemptus erit Deo, pÿsq;,
Quisquis sic malè proximo obloquetur:
At qui viribus omnibus tuetur
Defenditq; pios, & hos honorat,
Qui sese exhibet vt necessè nouit,
Atq; offert sua proximo, interim nec
Mutans propositi, nec is tenax est,
Pauperiq; pecuniam indigenti
Si quandò numerat, facit quidem id non
Spe vlla fœnoris, & lucri futuri;
Ac non sumit ab innocente munus,
Personam nequè respicit, sed ipsum
Omni iudicat æquitate rectum.
Hæc quicunquè agit est beatus, & non
Commouebitur, à Deiq; nunquam
Cœtu decidet ille filiorum.

Blyenburgius.

Non decet hunc dici cui sint bona multa beatum:
Sed cui mens sano in corpore sana manet.

Buchananus.

Stellata cœli templa quis incolet
Rex magne tecum? quem statues tuum
Sanctum super montem, vt malorum
Liber, agat placidam quietem?
Quem fraudis expers simplicitas iuuat,

Vrget-

Vrgetquè rectum, propositi tenax:
Nec mente sæuus grata blandam
Edocuit simulare linguam.
Nec ore mendax, exitiabiles
Concinnat artes: nec mala proximis
Excogitat, nec dulcem amicum
Opprobrijs maculat pudendis.
Quì fastuosum despicit impium,
Dei timentem suspicit & pium:
Tenaxquè promissi, fidemquè
Indocilis temerare pactam.
Qui non egenos fænore perdidit,
Non innocentes munere prodidit:
In monte sancto, hæc qui peregit,
Perpetua requie fruetur.

Schellenbergius.

Pectus amans, metuensq́ Dei, menteq́ pudicã,
Perpetuam dulcis coniugijquè fidem:
Hinc victũ & longos tranquillũ tẽpus in annos,
Ornatamq́ domum, progeniemq́ piam.
Scilicet hæc factura virum sunt dona beatum,
Talibus & felix dotibus vxor erit,
Non, auro, titulìs, censu, formaquè superba,
Et quæ non sanus cætera captat Amor.

Ganaus.

Quicunquè degit absquè sorde vitam,

Quiq́; viuere expetit
A labe purus, integerq́; vitæ:
Iusta cui placet via,
Et qui petenti Ius in æquitate
Reddit, ac fide optima
Cum proximis suis agit, nec vnquam
Decipit: sed ex animo
Et corde aperto, simpliciq́; semper
Verba eis facit; nequè
Fallacitèr linguâ (secus atquè corde
Cogitat) loqui solet:
Nec detrahit cuiquam, struitquè fraudes:
Sed suprà modum, id cauet,
Ne cui malum inferat: suumq́; amicum
Omnibus modis studet
Defendere à conuiciante linguâ:
Nilq́; sustinet loqui,
Aut agere, quod sibi probro daretur.
Quin & improbos viros,
Auctoritate vtcumq́; gratiâq́;
Polleant apud rudes,
Externa tantùm qui vident probantq́;,
Ne pilì quidem æstimat.
Verum timentes, ac Deum colentes
Maximì facit: neq́;
Curam vllam habet sui ipsius: nec ipse
(Laude dignus est licet)
Sese esse cuiusdam precij arbiratur.

At-

Atq; vbi quid aut Deo,
Aut alteri(quisquis siet)daturum
Se receperit,statim
Etiam suo exoluit malo,nec vnquam
Fallit:at fide integra
Promissa seruat,quodq; pollicetur
Reddit,etsi ei nocet.
Qui sic piam viro,optimoq; dignam
Vitam aget,nec alteri
Incommodare quidpiam studebit,
Non peribit,at neq;
Nutabit vnquam commonebiturue.

Porcaria.

Statuit Natura beatos
Esse viros,si qua contenti sorte manerent:
Sed vitio impliciti,rabieq; libidinis,annos
Ante ipsos,teneras fœtus truncamus in herbas
Virtutum:vt flores nequeãt producere fructus.

Apherdianus.

Quis non beatum iudicet,cui datum
In castitate viuere,
Negocijs nec implicari sæculi,
Quæ plena sunt molestijs?
Tranquilliori mente sed laudum Deo
Semper litare victimas.
Non coniugis queremonias loquaculæ

Audit frequens nec iurgium.
Plerunq; enim lites habet cum iurgijs
Iugalis alternis thorus:
Vagitibus non inquietatur, cubat
Vtramq; in aurem suauitèr.
Vitam solutus omnibus curis agit,
Sinè liberorum affectibus,
Et flebilis metu orbitatis. Insuper
Musis vacat percommodè.
Sacrisq; munit literis pectus suum
Contrà Satanæ spicula,
Meditationibus acquiescit spiritus
Rerum illius cælestium.
Seruire Gloriæ Dei magis libet,
Et proximi vtilitatibus.
Non cura distrahit rei domesticæ
Eum ad hæc & illa negocia,
Sciemus hoc tamen cuiuis non dari
Nisi singulari gratia.
Donum est Dei, vt Christus docet: non percipit
Verbum, inquit, hoc quiuis homo,
Cui sed est datum. Ergo conuenit Deum
Prece inuocare sedulâ,
Nobis vt adsit spiritu suo, & regat
Sic corda nostra, quo piè
Castèq; viuamus. Periculum est enim
Vri; vagam Venerem sequi
Vetitumq; adulterium facit cælestibus

Exclu-

Excludier me sedibus.

Crinitus.

Auite, si beatus esse contendis,
Supràq; cunctos otio frui certo:
Nihil timebis vltimam diem fati.
Animoq; forti lubricam feres sortem.
Vites potentum purpuras velut pestem:
Colasq; semper liberum genus vitæ,
In quo voluptas adsit & quies mollis:
Blandi lepores, & sodalitas grata:
Delecti amici, candidi, & fides simplex.
Vita est habenda non solutior luxu,
Non segnis aut vexata pluribus curis:
Sed in vigenti corpore vigeant sensus.
Iste est beatus qui omnibus vacat curis:
Nec alteri nec sibi negocium præbet.

* * *

Ohè beatum! qui sub antiqua ilice
Liuentis expers ambitus,
Vel sacra vatum curat, aut doctum otium
Curis solutior fouet.
Sic ille nil miratur æstus principum,
Nec sceptra Regum suspicit,
Sed in virenti detinetur gramine,
Et se reseruat posteris.

Seydelius.

Quos ô Creator maxime suscipis
Ciues? probantur quæ tibi pectora?

Quos incolas rupis sacratum
Vis habitare locum beatæ?
Non ficta quorum mens fidei decus
Agendo promit. Qui sibi semitas
Rectas viarum legit, omni
Iusticia dominante vitæ.
Qui veritatem candidus inclytam,
Osor doloris pectoris, exerit,
Mordacis & fucata linguæ
Verba, pio procul ore pellit.
Qui cæterorum commoda non malo
Euertit astu, qui petulans neq;
Conuicio aut liuore famam
Illicito premit innocentem.
Qui clara sortis nomina splendidæ,
Felicitatem spernit & impij:
Ac cætui dignos piorum
Attribuit venerans honores.
Cuius profano lingua timet sono
Iurare, constans sed manet in fide:
Vsura nunquam cuius amplas
Auget opes, dolus atq; lucri.
Qui nec Tribunal legibus obrutis
Venale propter munera polluit:
Insontis aut sententiarum
Deprimit impietate causam.
Hæc quisquis alta mente peregerit,
Inter beatos is numerabitur.

Accep-

Acceptus is cælo, quiete
Perpetua Domini fruetur.

Posthius.

Aurum, gemmæ, & opes valete Regum.
Sit, qui nunc mihi census est, minorvè,
Sit mens libera, sit salubre corpus,
Sit vestis popularis, & supellex,
Sit lis nulla foris, domiuè nobis.
Sint Musæ comites, Paterq́ Phœbus,
Amicos habeam bonos Poëtas,
Qui viuum celebrent suis libellis,
Grato & carmine defleant sepultum.
Hanc, Bersmane, mihi precare vitam,
Hanc, Bersmane, mihi precare mortem;
Et regnum tibi habe & talenta Crœsi.

* * *

Lætitiam, pacemq́ animi non Regia sceptra,
Non gemmæ & auri pondera, *(adorat,*
Non quicquã quod mundus amat, quod vulgus
Pueriq; mirantur leues:
Sed pia largitur tranquillæ Semita vitæ,
Et pura Conscientia.

* * *

Firma valetudo: nummi quod postulat vsus:
Conscia mens recti, coniugiumq; bonum.
Quatuor ista tenẽs verè est, Ioachime, beatus;
Iudice me, magnos æquiparatq; Duces.

Canri-

Et vice versâ.

Carnifices morbi: infelix rerũ omnium egestas:
Conscia mens scelerum, litigijq; thorus. (illo,
Quatuor hæc quẽcunq; premunt, quid tristiùs
Quid, Ioachime, potest esse magis miserum?

Siberus.

ô Virum ter, & amplius beatum,
Qui Deum metuis, viamq; legum,
Ipsius sequeris: tuas in illo,
Spes qui fallere non potest, reponens.
Non ingratus ager, tibi labore
Partas fundet opes tuo: solutus
Curis, tristitia, dolore, casus
Non vllos metues periculorum.
Coniunx, delitiæ tuæ racemis
Sicut pampineis grauata vitis,
Fæcunda innumeris tibi beabit
Domum pignoribus: tuam sedebunt,
Quæ fructus veluti tenelli oliuæ,
Ad mensam tua gaudia, & voluptas:
Dulces gaudia filij parentis,
Dulcis filiolæ patris voluptas.
Te Syonius omnibus diebus,
Sis felix faciet niues adusq;
Vt cani capitis, domos, & vrbes,
Et legesq; Dei, Deiq; cultum
Florentem videas: senex nepotum

Vt turbam videas, Dei fauore,
Eſt qua nil meliuſq́, pulchriùſq́,
Vitæ, pace frui, per omne tempus.



TITVLVS VII.

Paræneſis, De ſupremo hominũ fine, & quandò maximè felix homo.

Ales.

Eſt homini natura duplex: ſunt terrea mẽbra
Interitura breui: ſed mens æterna cietur,
Nec tormenta poteſt mortis tolerare cruentæ:
Nam ſimplex & pura manet, cæleſtis origo
Additur, vnde nequit caſus ſẽtire futuros. (dẽs:
Membra caduca gerunt homines, & belua fren-
Belua ſubtili ſed non eſt prædita mente:
Naturæ inſtinctu regitur, ſenſuq; vacante
Iudicio: ſeſe tantum præſentibus explet.
Mens hominis rerum cauſas luſtratq́, videtq́

Harum progressus, eadem præsentia nectens
Venturis, penetrat subitò primordia rerum.
Cætera prona vides spectare animantia terrā,
Atq; suo demum ventri parere rapaci.
Os hominis contrà cælos suspectat in altos,
Solus & ille potest dominari in cætera, terras
Quæ solidas habitant; vt sunt animātia bruta,
Seù repunt, amplisùe suis gradiuntur in agris.
Intercunt animæ brutorum: membra resolui
In tetros constat cineres, elementaq; mundi.
Cætera non igitùr possunt animalia iure
Annecti numero turbæ felicis in amplo
Elysij campo, lætum Pæana canentes.
Solus homo poterit felicem attingere metam,
Liber & à cura tristi, conscendere cælos
Flammiferos, sedesq; chori penetrare beati.
Quanquā nonnulli perhibent mortalibus ipsis
Clausis prorsùs adhuc tenebris, & corpore cæco
Vitam (si comitet virtus) contingere posse
Felicem, tristisq; refert id turba Sophorum.
Id quoq; Aristoteles vnà sentire putatur:
Non tamen est aliquis terreno corpore mersus,
Qui sibi supremum possit coniungere finem,
Atq; putri viuens felix in corpore dici.
Dic igitur quæ sit felix, & Olympica vita?
Et quem credideris vita felice potiri?
Qui nitidos habitat cælos, visuq; triformis
Perfruitur Domini, sit felix atq; beatus:-

Metam

Metam dicatur meritò tetigisse supremam.
Finem non alium viuens in corpore cæco
Quæsieris: siquidem non est hic vita beata,
Actio virtutis sit quamuis alma, potensq́;:
Attamen esse bonum nunquam iactare supremũ
Ausis, dum fragiles animalis spiritus artus
Occupat, atq́; regit corpus, cohibetq́;, cietq́;.
Sed quid habet proprium felix? non curat ho-
Mundi conspicuos: sortis ludibria pellit: (nores
Diuitias spernit miseras: non vlla caduca
Appetit, at vitæ fructum tenet ille beatæ:
Multi paras cupidis terras, & fulua metalla
Linquit, & in terra positum contemnit auarũ
Aurum: Vilescit Regina pecunia rerum: (di.
Nam sitis hæc cupidis nunquam sanatur haben-
Haud placet alta domus pictis suffulta colũnis:
Nec struxisse iuuat moles, & fulgida castra:
Aut ea quæ soleant mentes torquere malignas.
Visio clara Dei lucet, cætusq́; beati:
Gaudia læta placẽt. Non empta dolore voluptas
In cælis residet: quæ fallunt gaudia felix
Vana procul trudit: campis spatiatur in amplis
Consortes animos spectans, atq; infima mundi
Despiciens, quorum cupidi rapiuntur amore.
Non locus in cælis vitio: scelerisq; cruenti
Abijcitur labes: magno splendescit honore.
Felix qui potuit labris attingere fontem
Vndè fluit liquor, & manant liquentia mella,

Vnde bonum quoduis oritur pietasq́; superna:
Vnde salubris adest nobis, & prompta medela,
Mens quoties fuerit vitio maculata nefando.
Felix nullus erit, si non compage solutus
Corporis est animus, grauidas & inantè relinquit
Terras: nam tenebris animos & carcere cæco
Corporis inclusos labi falliq́; necessè.
Fallitur at, quisquis metam non attigit ille
Extremã, luteis quod sit mens obruta mẽbris:
Ergò morte priùs nequaquam vita beata
Contigerit, verumq́; patet dixisse Solonem.
Nec te commoueant si quos Epicurus alebat:
Nam flexisse procul videas à tramite recto,
Cum fines hominum statuunt in corpore putri.
Mellifluos etenim succos, vnguenta, sapores,
Quærunt; at fatuos cæcat damnosa libido.
Fallit & incautos blanda sub imagine semper,
Quæ lætã præfert speciem malèsana voluptas,
Cui liquisse placet tacitum sub pectore vulnus:
Quippè dolos animo versans propinat amica
Pocula: sed latitant dulci sub melle venena:
Quæ si fortè bibas imprudens, illa relinquit
Te subitò, fugietq́; dolis gauisa profanis.
Delicijs animum si qui præsentibus explent,
Hos fuge: quippè canunt nullam post fata futurã
Lætitiam, ignari fallentes corda popelli.
Cecropij dicas Epicuri de grege porcos,
Rebus qui reliquis munus præcellere dicunt
Corpo-

Corporeum, felicemq́; locant in corpore vitam:
Nam tenues fragili mentes cum corpore solui
Aiunt, ac animos nunquam post fata manere.
Hi quos dirus Amor rapuit, Venerisq́; libido,
Hæc præcepta canunt, neq́; cessant voce ferina.
Sirenum repetunt cantus, & pocula Circes (tur
Blanda petunt, & sub Domina meretrice vidē-
Excordes, placitis demum rebusq́; mouentur.
Si quid adest sceleris, dū subsit grata voluptas,
Hoc faciunt: nec enim recto pelluntur & æquo.
Audeat at si quis sese dixisse beatum
Antè graues artus quā mēs animusq́; relinquat,
Fallitur, Hunc ausis hominem censere beatum,
Donec vita manet membris inclusa caducis?
Omnis homo felix aliò non tendere debet
Hunc quoniam ferimus metā tetigisse supremā:
Ergò beatus homo tunc, cum nil ampliùs optet.
Quod magis obtigerit, dum rursus membra re-
licta
Assumet, lætusq́; polos habitabit amænos.

PARS

PARS SEXTA
De moribus.

TITVLVS
I.
Deus timendus.

Reusnerus.

De Deo, & divino ipsius verbo.

Magna Dei virtus, & magna potentia verbi;
Per verbum constant omnia nempè Dei.
Cælum, terra, fretũ, volucres, animalia, pisces,
Cum plantis frutices, arboreæq́; comæ.
Per verbum facti, per verbum deindè redẽpti
Mortales, morti dedita turba sumus.
Quod sumus, & si quid nos possumus: hoc sumus & nos
Per verbum solum possumus õne Dei.
Mors Sathanasq́; fugit, verbi virtute donatus,
Et fugit ad verbum gens inimica Dei.
Felix mens, indiuiduus cui gratia verbi

Fit

Fit comes: in verbo vincere certa salus.

* * *

Primus honor Superis debetur, Regibus alter
Quos voluit Diuum nomen habere Deus.

Camerarius.

Principiò venerare Deum pietate fideq́;
Sincera, & sanctæ obseruamine relligionis,
Omnis & in huius tua spes bonitate locetur.
Tum reuerere tuos, grates referendo, parentes,
Cumq́; his te cunctos qui sunt ætate priores:
Atq́; offensuris factis dictisq́; caueto
Æqualem læsisse tuum, officiosus in omnes.
Imprimis velis & remis esca malorum,
Turpifici & vitij fugiatur causa voluptas,
Quæq́; hanc conciliant deprauatæ ocia vitæ:
Ocia regna, domos, vrbes perdentia totas,
Ocia perpetuò fortunæ inimica secundæ,
Ocia virtutis semper contraria laudi:
Eneruatur ab his animus, fit debile corpus.
At te operis nunquam pudeat, pigeatuè laboris;
Dulcia sint potiùs tibi desidiosa pudori,
Ac pigeat fecisse, forent quæ turpia dictu.

Fungerus.

Semper in ærumnis ad cælos erige lumen,
Tendere quo tu post fata suprema paras.

Sit Deus attriti ſpes vnica & vltima cordis,
Hic etenim quouis faſce leuare poteſt.

Montanea.

Vaſa facit figulus diuerſis vſibus: iſta
Sordibus, hæc lymphis apta, ſed illa mero:
Faſq́; ſimùl virgâ, quodcunq́; obmurmurat illi
Frangere. Fictori diſce ſubeſſe tuo.

Iunius.

Myſterijs addicta Memphis æde pro ſacra
Sphingem biformem dedicauit, ſymbolum Dei.
Amato Numen cèu pijs mite, ac placabile:
Rurſus time, vt vindex, inexorabile impijs.

Augurellus.

Non eſſe ſecùm dixit inſanus, Deum:
Excorſq́; & inops mentis, expers conſilî,
Rationis ac pietatis omnis indigens.
At eſſe Sapiens mente primùm concipit,
Dehinc voce clamans ſplendida palàm facit
Non eſſe tantum, ſed potente dextera
Euum tenere, regereq́;, & nutu ſuo
Quæ cuncta fecit, temperare & omnibus
Adeſſe vbiq́; & imperare ſingulis.

Bollingerus.

Qui credit nullas horreſcit Iudicis iras:

At

At qui bella mouere Deo non credulus audet,
Iam condemnatus diras pro crimine pœnas
Heu! miser exoluet, densa caligine pressus.

Apherdianus.

Conditio non est vitæ felicior vlla,
A teneris annis quam coluisse Deum.
Imprimis igitur, sis relligionis amator,
Et Dominum tota dilige mente tuum.
Illius aduersum quicquid pugnare videtur
Dogmata, ne facito, sit procul omne nefas.
Omnia munificè credas largirier illum,
Et dare quas præsens vita requirit opes.
Iuramenta caue: nec profer turpia verba:
Nil fari linguam præter honesta doce.
Funde preces lectũ quoties petis, atq; relinquis:
Desidiam, talos, scorta, merumq; fuge.

* * *

Munere virtutis primò celebrare docemur
Laudibus æternum nocte dieq; Patrem:
Condidit hic orbem terræ, conuexa polorum,
Et quicquid varium continet illud opus.
Nec modò cunctarũ rerum fabricator & autor
Creditur hic vitæ, sed quoq; tutor adest.
Ipse cupit nostris successus addere rebus,
Sed decet vt pura mente precemur opem.
Ipsius ergo prius quodcunq; aggressus adora
Numina, quo cædant omnia læta tibi.

Burchius.

Nauta peregrinum longè dum nauigat æquor,
Et vada sollicitus non benè nota secat:
Vt cursum teneat, dubia nec sorte feratur,
Nocte sub obscura pro duce sydus habet:
Sic iter ambiguum vitæ qui calcat, auetq;
Per malè securas tutior ire vias;
In cælum mentis lumen defigat, & vnum
Deligat optata pro statione Deum.

Aulæus.

Quas decet ad summũ qui condidit omnia Re-
Sincero tacitas pectore funde preces. (gem

Duetus.

Qui Domino fidit, Domini qui munere pendet,
Pace bona gaudens orbis habebit opes.

Modius.

Sperne voluptates nunc iã, & ceù pocula Circes,
Otium iners, luxum, desidiamq; fuge: (est,
Et quoniam à teneris virtuti assuescere multũ
Disce, viro quondam quæ tibi agenda, Puer:
Commenda imprimisq; Deo tua consilia & spes,
Concedet votis plus etiam ipse tuis.

Schellenbergius.

Ille Deo viuit, toto qui pectore Christum
Quærit,

Quærit, & vna cui cura placere Deo:
Qui studet in cunctis diuino rebus honori,
Et sacræ legis cætera iussa facit.

* * *

Est aliquid studium nauare potentibus aulis
Non sine laude sua, sed maiùs opusq́, priorq́
Cura, suo seruire Deo pietate fideli.

Decimator.

Res vitæ dubias Domino committe potenti
Officij expediens munia iussa tui.
Nè vexet dubiam mala Desperatio mentem,
Nè excedat iustum sollicitudo modum.
Sedulus at fungens iniuncto munere, spera
In Dominum, fessis & pete rebus opem.
Is tibi sufficiet modiocria commoda vitæ,
Sollicitæ partes is genitricis aget.
Est effusus Amor genitricis feruida στοργὴ
In sua quæ gremio pignora cara fouet.
Sed quali Dominus nos cōplectatur Amore
Nullius hoc linguæ plectra referre sinunt.
Omnes huic igitur res, huic committito duras,
Sic flabit velis aura secunda tuis.
Nè sis sollicitus nimium de fine laboris:
Ipse Deo felix auspice finis erit.

Meijerus.

Mente Deum pura purum cole, friuola mundi
Causa,

Causa, secunda tuæ sarcina mentis erit.

Stamlerus.

Parendum Christo est, hora quacunq; vocanti,
Siuè mori Iuuenes, seù volet ille senes.
Arbitrio Christi standum est. Plerunq; futuris
Electos damnis præripit ille suos.

Fungerus.

Sit licet Hectoreis quisquam natalibus ortus,
Et domitis quondam ducat cognomen ab Afris,
Nullus erit Dominum pura nisi mente veretur.

Reysmannus.

Mente coles Dominum fidenti, qua sinè frustrà
Conaris placuisse Deo, frustraq; labores.

Incerti.

Præ cunctis timeas Dominum, simul & reuerere;
Ni Dominum timeas, opus est te cuncta timere.

* * *

Auspicio rerum Dominũ præponito verum,
Adsit principio fautor vt ille tuo.

* * *

Absq; Deo curant sua qui disponere pacta
Horum non durant longæuo tempore facta,

* * *

Omnis in orbe locus, fert Deitatis opus.

* * *

Omnibus in factis peragendis siue peractis
Debet præponi Deus humanæ rationi.



TITVLVS II.

Magistratus venerandus, parentibus, ac magistris obediendum.

Apherdianus.

Dij meritò in terris, quibus est respublica cu- Veneratio Magistratus.
Summo vocantur à Patre: (ræ,
Nam conseruatrix harum Prudentia rerum est,
Et ordinis pulcherrimi.
Quem Deus hæc voluit vitæ commercia habere,
Fieret nihil quo perperàm.
Plebs ratione carens sequitur quo feruidus æstus
Prauæ rapit libidinis.
Vincula quæ iungunt animos disrupta videres,
Si non timerent vindices.
Alterius alterius nullo discrimine fatum

Rueret

Rueret nefandis ausibus.
Ruricolis nusquam tutus locus esset in agris,
In oppidis nec ciuibus.
Omnia diriperent, miscerent sacra profanis,
Nihilq; turpe ducerent:
Sancta coërcerent si non edicta per orbem
Hominum ferocia pectora.
Pupillos siquidem, Fasces, viduasq́ tuentur,
Et pauperum res vindicant.
Innocuos seruant, extinguunt iure nocentes,
Et impias cohibent manus.
Vndè Magistratus voluit Deus esse colendos,
Nec discolos minùs ac pios.
Dum non præcipiant quicquā, quo Numina cæli
Quis abnegare cogitur.
Et quicunq́ negans illis parere, resistit,
Deo resistit impiè.
Hinc etiam tristes meritò persoluere pœnas
Illum sacræ leges iubent.

Aulæus.

Disce magistratus, reuerendaq́ iura timere:
Sempèr & alterius cautior esse malo.

* * *

Non secus ac patrem, metue & venerare Magistrum:
Hic animi quoniam, corporis ills pater.

Lauterbachius.

Absq́ Magistratu respublica corruit orbe,

Nulla

Nulla salus vbi Ius Relligioq́ silent.

Bellaius.

Si quid sit tibi de Deo loquendum,
Aut quo Numina sint colenda ritu,
Sis catus rogo, nec velis (quod aiunt)
Cornicum, vt Sapiens queas videri,
Confixisse oculos. Grauis Sophorum
Ira. Hos lædere, si sapis, caueto.
Nec minus tibi Principes cauendi,
Longas esse manus quibus loquuntur.
Haud quisquam Sapiens Deum lacessit:
Nec impunè diù fuit proteruus,
Quisquis crimina Principum notauit.

Posthius.

Imprimès venerare Deum, qui regia donat
Sceptra bonis, adimit regia sceptra malis.
Tum magnum imperij reuerentèr habeto Sena-
Illius & sanctis vtere consilijs. (tum,

Apherdianus.

Pulchrior ingenuæ sobolis laus nulla parentes, Honor Parentum.
Atq́ suos si quo debet honore colat.
Hanc super & veniet summi benedictio Patris,
Et fato viuet prosperiore diù.

* * *

Quo deceat Patrē quisquis veneratur honore,
Puni-

Puniet illius crimina nulla Deus.
Quiq́ colit matrem, thesauros congeret auri,
Et sibi magnificas accumulabit opes.
Nestoris annosi viuet feliciter æuum,
A Pueris capiet gaudia magna suis.
Si quandô faciet Domino pia vota, videbit
Sollicitas quiduis obtinuisse preces.

* * *

Quis sit verus honor, quē debet quisq́ parenti,
Exponam, memori percipe mente Puer.
Semper honorificè decet hunc tractare, benignis
Affari verbis, atq; fouere senem.
Quod cultrix pietatis auis, genitoribus omne
Officium præstant, rite docere potest.
Exequier quicquid iubeat, parere libentèr
Eius iudicio, cedere iure suo.
Deniq; si vitij quicquam videatur in illo,
Aut si deliret, dissimulare decet.

Aulæus

Si tibi sunt duri, tolerando vince parentes:
Si faciles; curam, ne moueantur, habe.

Reusnerus.

Disce timere Deum; matri parere, patriq́:
Atq́ Deus mandat quem patris esse loco.
Disce bonas artes, sanctiq́ oracula verbi:
Sis castus vita, moribus vsq́ probus;

Sic cresces æuo, Sapientia & arte beatus;
Sic homini carus, sic potes esse Deo.

Meijerus.

Prima Deo cedat pietas, post pone parentes:
Haud aliter Christo principe dignus eris.

* * *

Præstes ipse tuum ita te maioribus æquum,
Natos vt cupias esse aliquandò tuos.


Schellenbergius.

Quisquis iussa facit toto de corde parentum,
Et colit officium sedulitate suum:
Huic optata Deus largitur munera, nec non
Obscuro ignotum protrahit ipse loco.

Apherdianus.

Erudiunt recta qui te ratione, Iuuentus,
Sunt obseruandi non secùs atq́ patres. Obedientia Præseptorum
Nam præceptores animos generare videntur,
Quandò bonas artes, cum pietate docent.
Et quibus est studio summè venerarier illos,
Euadunt docti suntq́ in honore viri.
Quarè Traiani laus est pulcherrima longè,
Sedulò Plutarchum quem coluisse ferunt.
Dicitur ex auro statuas Antonius illis
A quibus est Doctus constituisse domi.
Et pater eloquij nunquid celebrando frequẽter

In ſcriptis horum nomina clara facit?
Et quicunq́ cupit ſtudiorum præmia ferre,
Hunc præceptorem ſemper amare decet:
Et qui deſpiciunt, nihil his ſceleratiùs extat:
Ignari rerum nomina nulla gerunt.
Inter quos primum poteris numerare Neronē,
Impietas Senecæ cuius acerba fuit.



TITVLVS III.

Modeſtia, Probitas, Humilitas, Patientia exercenda, & inimici quomodo vlciſcendi.

Burchius.

De modeſtia. V*Ir pietatis amans, fœdum nil promit ab ore,*
Sed tanquam ſcopulum fugitat ſcurrilia dicta,
Quin audire eadem vitet cane peiùs & angue.
Non etenim quidquam vitam moreſq́ loquētes
Dedecorat magè, quā petulās obſcænaq́ lingua.
Nam ſi de verbis ratio accurata iocoſis

Et temerè effusis, maior reddenda profectò
De turpi sermone, pias qui perculit aures.

Musius.

Vbi quisque est modestus,
Ibi nemo est molestus,
Procùl est Discordia:
Vbi amor æquitatis,
Odium iniquitatis
Ibi est concordia.

Lauterbachius.

Quemq; suos intrà docet ire Modestia fines,
Rectè, qui nimium non sapit alta, sapit.

Hessus.

Qualem diuitibus, talem te præbe & egenis,
Vnus sit candor pectoris, vna fides.

Billius.

In rixis grauibus nõnumquam cedere præstat,
Quam nimium niti victor vt esse queas.
Sæpè etenim in lucta vincit, qui: lædat vt hostẽ,
Quem prestare videt robore, spontè cadit.
Æquore turbato præstat demittere vela,
Stultitiæ pœnas quam dare morte graues.
Esse iuuat facilem, rapidus quod sæpè nequiuit
Africus, hoc Solis feruida flamma facit.

Turpe

Pictorius.

Turpe homini nimis est, vbi se fluuialibus vn-
Lauerit, à solito nolle cauere luto. (dis

Andrelinus.

Turpiùs ad sordes scelus est rediisse priores
Quã prauum insoliti crimen inire mali.

Schellenbergius.

Ars decus eximiũ est, sed sãcta Modestia maius,
Esse decet doctum, sed magis esse bonum.
Pulchræ sunt Musæ, Pietas quoq; pulchra, sed illæ
Iuncta maius habent, integritate decus.

Incerti.

Quantò plùs poteris, tantò plùs te modereris,
Quantò maior eris, moderatior esse teneris,
Nã citò stultus eris, nisi velle tuum modereris.

* * *

Si quem Præcellas aliquo probitatis honore,
Ne iactes, proprio quia laus sordescit in ore.

Reusnerus.

De probitate. *Sola quidẽ probitas hominis decus õne tuetur,*
Qui colit hanc hominum dignus amore coli.

Nerdenus.

Non erit ille probus quẽ incerta humana bilãce
Lima

Lima probat, sed qui bonus ipso iudice fertus.

Mediolanensis.

Corpora dilacerant, inuadunt rura Tyranni,
At nunquam Probitas hostica præda fuit.

Morualensis.

Gens erat aurea,
Cui furor alea,
Cui scelus aurum:
Cui pudor emptio,
Cui neq; mentio
Diuitiarum:
Non erat abdere
Fas, neq; tollere
Lucra crumenis:
Plenus opum Tagus,
Aurifluus, vagus
Ibat arenis.

* * x

Nulla libidinis,
Vnica germinis
Insita cura:
Tunc sacra vincula,
Tunc dabat oscula
Crimine pura:
Quisquis erat Pater,
Ille decem quater
Egerat annos,

Ergò

Ergò viros genus
Hoc dabat, haud Venus
Ebria magnos.

x * *

Membra virilia,
Corpora ſtantia,
Stans cor habebant:
Non ea potibus,
Hæc dape, luxibus
Illud alebant.
Viua pericula,
Viuaq́ vincula,
Viua venena,
Dicere ſueuerat,
Et fore nouerat
Aſpide plena.

Incertus.

Dat probitas ſpeciem, ſed non ſpecies probitatē,
Qui probitate calet; huic ſua forma valet.

Burchius.

De humilitate.

Non igitùr ſpernas alium, quod copia rerum
Sit tibi, quod clarum nobilitate genus:
Aut quod conſpicuum te multa ſcientia reddat,
Et virtus animi concomitata bonis.
Nam nihil iſtorum eſt, quod non donauerit ille,
Qui clemens homini dat bona cuncta Deus.

Facta

Aulæus.

Facta tua extollant alij, laus propria ſordet,
Ore ſed alterius quæ venit, illa placet.

Roſeletus.

Sis humilis, nulli ſociorum detrahe, pacem
Dilige, Doctori morigerare tuo:
Omnibus acceptus, triſtiſq; à fronte recedat
Nemo tua: faciles tradito cuiq; oculos.
Eſt generoſi animi argumentū id amabile cunc-(tis:
Sic ſapias; Iuuenis qui facit iſta, ſapit.

Lauterbachius.

Magnus es? eſto humilis, Domini vt mereare fa(uorē,
Magna potens odit, diligit ima Deus.

Nepos.

Moribus indignum noſtris, ſtudijſq; pudicis
Oſtentare ſuum: propriæ nam venditor artis
Detitulas titulot quos ingerit.

Chytræus.

Sis humilis corde, & celſas ne ſubijce criſtas,
Depreſſa exultat, deprimit alta Deus.

* * *

Sis humilis, iuſti & dic omnia iuſta Iehouæ
Facta, licet cauſas non citò noſſe queas.
Quod iā noſſe nequis, tandem tibi detegit ipſe,

Vt iusti agnoscas omnia iusta Dei.
Æternasq; illi dicas hoc nomine grates,
Obsequiũ hoc illi est non leue, summus honos.

Blyenburgius.

Non tollit frontem prudens, sed mente, manuq;
Ostendit quantum nocet insipientis inepta
Actio, quâ tumidus paæfert sese omnibus, ipsum
Confundẽs morum, turpi cum fraude dictorum.

Posthius.

Quo quisq; est maior, maiora pericula vitæ
Sustinet: in parua est vita beata domo.

Morus.

Alta superborum fugitat penetralia Regum,
Inq; casa concors paupere regnat Amor.

Marcellus.

Quò quis doctior, eruditiorq;
Floret cognitione literarum;
Hoc morum quoq; suauitate præstans
Superbit minus, erigitq; cristas.
Frumento grauis est arista si qua,
Demittit caput, ast inanis effert.

Nerdenus.

Esto humilis, si vera tibi sit gloria curæ.

Quæri-

Quærito non quæ ſint tua, ſed quæ ſint aliorũ.
Vnanimem ſentire virum ſit ſumma voluptas.
Quod te alius præſtat donis, ſuperetq́; putato.
Indicto conſiſte loco: commiſſa age ſeruus. (bis,
Sat, quid agas, ſi vt iuſſus ages, ſat laudis habe-

Eucharius.

Eſto humilis, patiẽs, trãquillus, & ocia dãnans:
Crapula, auarities ſordeat, atq́; venus:

Incerti.

Sis humilis mediante modo, nimium fugiatur:
Qui nimis eſt humilis, hic pro ſtulto reputatur.

* * *

Cum fueris maior, cunctis te crede minorem.

* * *

Spernere mundũ, ſpernere nullum, ſpernere ſeſe,
Spernere ſe ſperni quatuor iſta beant.

Iunius.

Fit victor patiens animus cedendo furori. De patiẽtia.

Reuſnerus.

Qui patitur vincit: Patientia ſola triumphat
Magnificè: ſi vis vincere diſce pati:

* * *

Non opibus mentes hominum, curæq́; leuantur,
Euertit magnas ſors quoq́; triſtis, opes:

Aurea sollicitas vincit Patientia curas
Solius immenso fulta fauore Dei.

Grudius.

Nec patitur, benè qui patitur: nè vincere crede
Qui benè non vincit, victor & ipse sui est.
Vtilitèr vis posse pati? te vincere disce,
Vtilitèr te vis vincere, disce pati.

Pictorius,

Sæpè vides alios alijs accedere ventos,
Ingerere & fluctus sese alijs alios.
Rebus in humanis ita duris dura videmus
Subnecti: didicit qui tolerare sapit.

Meijerus.

Fer mala constantèr tali certamine virtus
Nascitur, vt spinas inter amœna rosa.

* * *

Ex Euagenitos incommoda ferre necessè est
Plurima, quæ generi tradidit illa suo:
Sed datur æternam nobis sperare salutem,
Hæc animo ferimus si patiente mala.

* * *

Disce pati semper, si quandò aduersa lacessent
Vt forti capias arma parata manu.

Apherdianus.

Vitarier quicquid nequit,

Æquo

Æquo ferendum animo tibi:
Dolere nam prodest nihil
Huiusmodi fatalia.
Ratione quæ propellere
Nulla potes. Sit æquitas
Hîc mentis, atque leniat
Mala, tibi quæ numen Dei
Immittit, & culpaueris
Nunquam: voluntati decet
Accommodemus illius
Nos spontè, nec querimoniam
Habeamus hac de re. Datur
Morosa coniux? quid tibi
Melius malam quam leniter
Tolerare Xantippem, docet
Vt Socratis tolerantia.
Si perdidit substantiam
Iniquitas Rhamnusiæ?
Lachrymis genas frustrà rigas.
Si dura matrem cum patre
Charissimo mors sustulit:
Reuocarier ploratibus
Nullis queunt: animi dolor
Hic conquiescat, & preces
Fundantur ad Deum, tibi
Quo largiatur Herculis
In omnibus robur malis,
Ne deprimaris, & tuæ

Curam salutis negligas.

Burchius.

Amissis rebus si vis mollire dolorem
Qui mentem tristi conditione grauat:
Sis memor has olim te non habuisse, & eodem
Quo quondam fuerant res iterùm esse loco.

* * *

Læsus es, & properas lædenti reddere noxam,
Idq́ue tibi summo Iure licere putas?
Quamuìs Iura sinant, tamen illud regula legis
Diuinæ fieri cum ratione negat.
At monet omne malum patienti vincere mẽte,
Nec mox opposito reddere leue malo:
Nam non est Patiens qui pænã infligere differt,
Quod licet ipse velit non habet vndè queat:
Sed qui cum possit vindictam sumere damni,
Sumere mansueta mente, manuq́ue fugit.

Hessus.

Ira animæ mors est: iram fuge, mitte furorem,
Ne malè commotus tu quoq́ue forsàn agas.

Nepos.

Discite dura pati. Sola est quæ conterit hostem
Virtutesq́ue regit Patientia: sola triumphis
Militat innocuis & honestæ consulit iræ.

Anguis

Sambucus.

Anguis extensus, baculoq́ pœnam
Duriùs soluens trepidat, semelq́
Ictus aduerso subitam notabit
Funere mortem.
Sæpiùs si se videat petitum
Verbere, haud fert, colligit in sinusq́
Debitos se, mutuò comminatur
Atq́ venenum.
Læditur quandò Patiens, bonusq́,
Leniter fert, nec quæritur dolendo:
Fortê si transis moderationem,
Fit furor indè.

Almenensis.

Casibus aduersis, Patientia sancta medetur,
Vt leùius reddas fer patientèr onus.
Plurima terrigenas miseros discrimina vexāt
Felicem nullum Phæbus in orbe videt.
Dant aloës multùm, sed mellis fata pusillùm;
Cādida sors rara, ast nubila sæpè venit. (rant,
Nunc animi languent, modo corpora peste labo-
Horriferisq́ armis Martia bella fremunt.
Nūc segetes grādo vastat, nunc fulmina mergūt:
Nunc grauis est æstas, & modò sæuit hyems.
In quoscunq́ locos orbis tua lumina flectis,
Tristia multa vides omnia plena malis.
Sed patiens virtus mollit quæ dura videntur.

Nil prodest mæsto pectore damna pati.
Pandit Olympiacas homini Tolerantia sedes,
Gaudia de luctu sunt oritura breui.
Aspera mūdus habet, nulla hic est vera voluptas,
Sydera felices reddere sola queunt.

Laurerbachius.

Sperandum, & præsens constanti mente ferēdū:
Suaue Dei, placido pectore ferre, malum.

* * *

Offensas tolerans ingens Patientia virtus,
Est Sapiens iram qui moderatur homo.

Morus.

Maxima quū bona sunt, iā sunt, mala proxima: (rursùs
Maxima quum mala sunt proxima iam bona sunt.
Forti animo mala fer, nec bis miser esto dolore,
Ne citò venturis præmoriâre bonis.

Naerdenus.

Nulla vacat crucibus domus hic habitata molestis,
Fertq́; suo proprium corpore quisq́; iugum.

Nerdenus.

Ipsi nec pleni diuino numine Vates,
Legatiuè nouo per terras fœdere missi,
Atq́; sequuta dein doctorum turba piorum,
Clarorumq́; ducum, vix vna fortitèr hora
Subis-

Substituunt, nisi contemni & contēnere docti.

Incerti.

Iura fori vites, quia rem perdent tibi lites,
Lis sinè iacturâ tibi non est vlla futura.

* * *

Tempore si mæsto vexaris, fortior esto:
Nam post aduersa bona dat Deus & vice versa.

* * *

Disce pati si vis victorum tu fore ciuis.

* * *

Tripliciter moritur: aduersa ferens patientèr,
Compatiens passis, meliora volens inimicis.

* * *

Nobile vincendi genus est Patientia: vincit,
Qui patitur: si vis vincere: disce pati.

Apherdianus.

Lædere si cupias inimicum, quærere noli De inimicorum vltione.
Arma, tibi referam qua ratione queas.
Sedulus omnigenis mentem virtutibus ornes,
Et fugias quicquid praua libido docet.
Moribus egregijs studeas excellere, nullo
Hunc meliùs poteris lædere crede modo.

Burchius.

Magnū virtutis specimen reputamus amicos
Quos colimus, facto demeruisse bono,

Cum

Cũ leue ſit. Quid enim magnũ præſtare videtur
Qui meritum merito vincere velle ſtudet?
Laudem illi potiùs tribuas, qui neſcius iræ,
Nil grauis inuidiæ nil odijuè memor,
Deuincere ſtudet ſibi per benefacta inimicum,
Et quamuis læſus, lædere turpe putat.

Vulteius.

Quæris, Pace, meo mali quid optem
Hosti? quæ ſoleo meis amicis.
Hunc ſanum, atq; alacrem, probum, pudicum,
Castum, paſificum, pium, innocentem,
Prudentem, facilem, minùs ſeuerum,
Iucundum, incolumem, boniſq; gratum,
Summis laudibus, atq; honore dignum,
Fortem, magnanimum, peto & quietum
Et doctum, & placidum diu videre.
Fictam percupio, trucem, ſuperbam
Deponat faciem: improboſq; mores
Prorſus exuat, & ſibi malorum
Quicquid deniq; ſordium pararit,
Prudens atq; ſciens priùs, relinquat.
Vis dicam breuitèr meo quid optem
Hosti? quæ ſoleo meis amicis.

Reuſnerus.

Quid frustrà niti, nec cedere velle furori
Currenti, aut stimulum calce ferire iuuat?

Aptiùs obsequio quam stulta vincitur ira:
Cedere qui nescit, vincere nescit homo.
Nonnè reluctando, stimulo dum sæpè feritur,
Plùs sibi quam domino, sic nocet acer equus?
Cedendo vinces meliùs: si cedere nolis
Impatiens: rabies gliscit & ira magìs.

*   *   *
Ira furor breuis est: stimulis agitata minarum
Euolat: & vires colligit inde suas.
Sæuior immissis furit hinc, velut ignis, habe-
Præcipitēq; furens quolibet ardor agit. (nis,
Qui sapit, haud longum tempus cōcedet in irā,
Iratoq; dari non volet arma sibi.


Montanea.

Non offerre iubet faciem lex cum furibundus
Sublata intentat verbera vtraq; manum,
At sufferre. Iram lenis Patientia vincit,
Et tumidum cedet sanguinem & ingenium.

Billius.

Qui læsus ruit in furias, atq; æstuat ira,
Vindictæq; grauis quem ferus vrget Amor,
Paruulus est. Paruos animos nāq; vltio prodit,
Iræ quæ comitem se dare læta solet.
At qui vindictæ studium premit omne, sitimq;
Magnus hic, & magnum dignus habere decus.
Qui verò læsus gaudet, lucroq; dolores
Deputat, huic tribui laus satìs ampla nequit.

TITV-



TITVLVS IV.

Superbiam, auaritiam, voluptatem, Et ebrietatem fugiendo, Sobrietas sequenda.

Rogerius.

De Superbia. *Quisquis muneribus Deæ caducis*
Quæ longè est leuior Notho, superbis,
Aut grato nitidæ decore formæ:
Aut vi corporis instar Herculani:
Cura fac imitêre diligenti
Argi centum oculis auem superbam
Pauum, qui simùl ac suæ colores
Caudæ mille vïdet, nitens ad astra
Extollit caput, & cupit videri:
Sed si fortè pedes humî reflectat,
Ac turpes videat pedes, lutoq́;
Infectos, subito tumore tristis
Incedit posito. Superbe, sic tu
Contemplare tuos pedes, misellam

Natu-

Naturam, & fragili luto creatum
Corpus, vt sileam voracis alui
Excrementa: vide tuo quid ore
Fœdo prodeat, ac vtraq; nare;
Adde, quam vario perire casu,
Quam possis subita rapi ruina;
Nam nec forma potest, nec ampla nummi
Vis auertere, virium nec ingens
Robur, quin subitò repente morbo
Victus, in Stygias feraris vndas.
Hæc quisquis facies, graueis repones
Fastus, & modicè tibi placebis.

Burchius.

Superbiæ pedissequas duas quæris?
Infamia vni nomen, alteri Damnum;
Præcedit illa, ponè commeant istæ.
Vitare quisquis asseclas cupit seruas,
Heram necessè est instar hostis euitet,
Deformiorem Hydræ execrabili monstro.

* * *

Non vt opinantur multi, Iactantia sempèr
Vestibus in nitidis, purpureisuè sita est.
Ast etiã in vitium hoc nonnunquã trita lacerna
Peccat, & incompto corpore spurcities:
Nempè vbi contempto contenta Superbia cultu
Fallere mentita simplicitate studet.

Om-

Bollingerus.

Omnis homo proprium de ſe qui iactat honorẽ,
Ille ſuo ſeruit decori, ſibi nomina quærit:
At qui mittentis laudes canit, ille probatur,
Ille viam ſequitur veram, nil audet iniquè.

Montanca.

Nè tumeas faſtu ſi non ingloria nomen
Fama tibi & laudes addidit egregias.
Sic te larga Dei excepit clementia: cuius
Iſte tibi ſolo munere ceſsit honor.

Pilius.

Non fas ventoſo ſurgere faſtu
Mortales animos, & ſe componere Diuis.

Rennecherus.

Grande ſupercilium mentis depone ſuperbæ,
Aſt humilis reuerere Deum, reuerere potentem.
Dum ſupereſt tempus proprio reſipiſce periclo,
Nè te præueniat, viuumq́ue inſorbeat Orcus.

Decimator.

Ad iuſtam properat væſana Superbia pænam,
Attrahit exitium lingua ſuperba ſibi.

Fungerus.

Sit procul à vobis inflata Superbia buccas
Effra-

Effrænisq; & noxia, nec benè conscia recti.
Paſsibus hæc tumidis graditur, ceruice reflexa,
Crinibus intortis, iactis inq; ilia palmis,
Voce minax.

Mellemannus.

Siuè tibi vegeto superant in corpore vires,
Seù tibi diuitijs ampla referta domus:
Seù vigor ingenij, seù te Sapientia clarum
Exhibet, imperij siuè celebris honor:
Nè tamen extollas tumidas in vertice cristas,
Altaq; nè releues pectus ad astra tuum.
Omnia nam pereunt, & deuorat omnia tempus,
Voluitur instabili sors vagabunda rota.
Quotquot in hoc mūdo lumē vitale videmus,
Nil nisi pertenuis puluis & vmbra sumus.
Vtq; diem Titan fert, altaq; Luna tenebras,
Sic dant diuersas inuida fata vices.

Morualensis.

O caro candida,
Post breuè fætida,
Plenaq; fæcis:
Flos modò, post fimus,
Et fimus infimus,
Vnde tumescis?
O caro carnea,
Iam modò glarea,
Postmodò vermis,

Nunc

Nunc homo, cras humus;
Istud enim sumus,
Vnde superbis?
O Caro debilis,
O citò labilis,
O male mollis:
Quid petis ardua,
Quid tibi cornua
Ferrea tollis?
Quid tibi crapula,
Milleq; fercula,
Milleq; pastus?
Res lue perflua,
Viuaq; mortua,
Cur tibi fastus?
Vnde superbia?
Fæx tua gloria
Morte remissa.
Fæx tua prandia,
Fæx tua gaudia,
Fex es & ipsa.

* x *

Proh dolor! aspice
Scelera triplice
Stricta furore,
Triplice crimine
Nexa: Libidine
Fraude, timore.

Corda superba,
Sed Venus ebria
Corpora nectit,
Corpora, cordaq́;
Fraus ligat, vtraq́;
Mors sibi flectit.

Incerti.

Vnde superbit homo, cuius conceptio culpa,
Nasci pœna, labor vita, necessè mori.

* * *

Si tibi gloria, si Sapientia, formaq; detur,
Sola superbia destruit omnia si comitetur.

* * *

Cum benè pugnabis, cum cuncta subacta putabis
Quæ magis infestat vincenda superbia restat.

* * *

Non exaltari quæras, vel magnificari,
Mens leuis inflatur, si quandò fauore leuatur.

* * *

Libros semper habe, sis mitis, sis sinè labe,
Nec sis elatus, non inuidia maculatus.

Iunius.

Integritas, constansq; fides, Sapientia dia, De auaritia.
Cumq; pudicitia pura, iam Gloria viuax,
Despiciunt peritura bona, immortalia spirant,
Teq; pede exculcant Regina pecunia rerum.

V Omne

Euangelista.

Omne bonum terrestre fugax: quod torquet & (angit
Longinquum est miseros excruciatq́ diù.
Dant bona sæpè malis Superi, crucientur vt illis
Sublatis grauiùs, perdoleantq́ magis.
Dant mala sæpè bonis, vt pectora casta benigni
Vertant ad verum, perpetuumq́ bonum.

Reusnerus.

Crescunt diuitiæ, nummorum dira Cupido
Crescit: & inter opes Euclio viuit inops.
Nam veluti pictis gaudet sinè mente tabellis,
Et tanquam sacris parcit auarus homo.
Grande nefas censet quibus vti ritè, fruiq́
Sic nisi diuitias, nil malesanus amat.
Sic auri formica vigil componit aceruos,
Compositis vti nescia diuitijs.

* * *

O quam difficile est, opibus non tradere mores:
Quandò solent auro tanta subesse mala.
Non benè conueniunt nec in vna sede morantur
Sancta fides, & opum luxuriosus amor.
Nec facilè est, cæli locupletem tangere limen:
Cæcus inutilium quem coquit ardor opum.
Intortumne in acu vagus vnquā Nauta rudentē
Traijciet? fieri vix ego posse puto.
Fila minutatìm legit impiger, atq́ resoluit
singula: sic per acum fila replicta trahet.

Porta breuis cæli est: quam si pentrare laboras:
Desine opes nimium diues amare tuas.
Desine sarcinulis humeros onerare molestis,
Vtere diuitijs, ceu decet, vsq; tuis.
Quod superest largire bonis, & egētibus vltrò,
Quamq; potes miseris omnibus offer opem.
Sic aptus cæli sedes es adire beatus,
Prælucet pedibus si modò sancta fides.

* * *

Condit auarus opes, defessoq; incubat auro:
Par fas atq; nefas condit Auarus opes.
Vndè habeat nihil is curat, sed oportet habere,
Et citò vult fieri diues, inopsq; manet.
Nam mors aut vilem redigit communis in assē:
Eripit aut partas turpe tribunal opes.
Magnis parta malis pereunt maiore dolore,
Quod dat cuiq; Deus, sorsq; benigna, sat est.

* * *

Crescis, & Attalico domus alta renitet ab auro,
Corrasasq; colis, numinis instar, opes. (quis
Nec satis hoc animam lucris quoq; vendis ini-
Mercando solers excutis omne solum.
Exanimisq; metu vigilas, trepidasq; pauore,
Multaq; possideas cum bona, plura cupis.
Sic quondam sitiens fugientia flumina captat
Tantalus, & posita continet ore dapes.
Sicq; Midas tacto Rex discruciatur in auro,
Dum sua Pactolo flumine membra lauat.

Nec metuis (quãquã metuis permulta (quod hæres
Mox malè quæsitas puluere vertet opes.
Tutiùs est modica contentum viuere sorte:
In lætis mentem rebus habere piam:
Præsentisq; Dei venerabile numen amare,
Si nescis cunctas res ea vincit opes.

Sambucus.

Cum nos diuitiæ erigunt superbæ,
Et fortuna beat vel otiosos,
Obliuiscimur impij Deorum,
Nec sors adiuuat indigos sodales.
Aræ thure vacant, foco & decenti,
Nec ventura animus videre cæcus
Dignatur, tumidi aut maris procellas
Securi nimiùm, sed in profundam
Labuntur foueam grauesq; pœnas.
Si fortuna igitùr fouet secunda
Illam discito temperare mente,
Et prorsus dubiam & rotâ volucrem:
Sic post hac leuius feres nouercam.

Blyenburgius.

Ne te diuexet nummi vesana cupido,
Hinc nam dimanant pessima, crede, mala.
Argentum nimium mortalia pectora vexat,
Exitiumq; ferunt multa talenta viris.
Iustitiam colito, quæ præstantissima virtus:
Sic

Sic laudem disces tradere cuiq; suam.

Erasmus

Non vndecunq; lucra gaude quærere,
Plerosq; siquidem turpibus de quæstibus
Adferre damnum non salutem videris.

Apherdianus.

Sperne Midæ Gazas, & quod Pactolus arenæ
Voluit, vilescat quicquid in orbe nitet.
Si tibi contingant vitæ quæ postulat vsus,
Ista contentus sorte beatus eris.
Immodicæ siquidẽ mentes mordacibus angunt
Diuitiæ curis, & mala multa docent.
Quæ te non tangent: veluti nec gloria mundi,
Si tecum reputes esse caduca bona.

* * *

Diuitias nullus Sapiens desiderat vnquam,
Quod soleant illis multa subesse mala.
In mare coniecto Crates hinc pondere grandi
Auri, ait, hoc mergam, mergar vt ipse minùs.
Audijt vt Zeno, sua quod perijsset in vndis
Res, risisse magìs, quam doluisse ferunt.
Dixit enim: voluit Sophiæ Fortuna relictis
Inuigilem curis commodiore via.
Democritus patriæ cessit patrimonia, Phœbi
Vt vacua possit mente vacare sacris.
Clarus Anaxagoras agros relliquit inertes,

Pecto-

Pectoris his cultum præposuitq́; sui.
Sic faciet, qui vult cultor virtutis haberi:
Nam nihil his opibus vaniùs esse potest.

Reusnerus.

Quemadmodum si viperam
Vel aspidem vel scorpium,
Cernas in auro, aut Indico
Ebore, tamen non diligis:
Nec hìnc beatas iudicas
Has belluas, quid vndiq́;
Rutilo nitore fulgeant,
Natura sed quia his malum
Virus dedit, longè fugis
Timens veneno afflarier;
Sic cum vides magnas opes
Habere plurimùm mali,
Mirari & amplecti caue
Splendorem earum: sed magìs
Contemne propter improbos
Mores, in illis quos vides:
Nè te queant submergere,
Quod accidit quamplurimis.

Lermæus.

Argenti pretiosa fames quem torquet & auri,
Ille quidem fert diram animis & corpore labē.

* * *

Nil

Nil aliud cupidorũ hominũ studet ãbitus amẽs,
Quã regno regnũ, sceptro superaddere sceptrũ.

Montanea.

Hæc nummos facit esse Deos, quæ cogere nummos
In loculos nunquam cessat auara suos.
Et semper tam cæca cupidine fertur habendi,
Impia, vt in cælis negligat esse Deum.

Stroza Filius

Cum licet ad Gades fines proferret ab Indis
Nõ sat haberet adhuc, quãdò improba crescit habendi
Ingluuies: tãtòq; magìs mortalia corda
Sollicitat, quantò plùs haurit auara voluntas.

Burchius.

Nec boni multum aurum, argẽtũ, vel talia quæ
Si spectes animi cõmoda, nec mala sunt. (uis,
Diuitiarum vsus bonus est, at prauus abusus:
Deq; bonis nimium sollicitum esse, malum.
Deteriùs, fœdumq; magìs, nunquam satiantes
Per fas atq; nefas quærere sempèr opes.
Sunt animi bona, virtutes, præclaraq; gesta,
Quæ nec mors, nec sors vlla abolere potest.
Sunt mala peccatum, pœnamq; merentia facta,
Qui si non perimis per bene facta, peris.

Langius.

Non animo pietas non illi occurrit honestas,
Cui

Cui nihil immenso dulcius est precio.

Sambucus.

Diuitias reputo veras, quas exigit vsus,
Et sortem insignem quam dat habere Deus.

Nerdenus.

Vanus opū splendor, mera sunt ludibria, tristes
Sunt laquei, radix, irritamenta malorum.

* * *

Conscia mens recti, thesauri grandis aceruus:
Diuitiæ, pietas, veræ: Dominumq́ timere, (ba,
Maximæ opes: nec habet Dæmō dare regna super-
Nec malus imperium: Domini benedictio ditem
Sola facit, cuius cælum est, & terra, fretumq́
Et tibi, pignoribusq́ tuis dabit esse, quod ipse
Te magè prudentèr discernens vtile norit.

Billius.

Retia dum texit sua viscera perdit Arachne,
Et sese misero stulta labore necat.
Ecquid enim tenues contexit aranea telas?
Vt muscas laqueis implicet ipsa suis.
Huic igitur, quæ se prædæ tam vilis amore
Perdit, eum similem dicere iure queas,
Qui fluxas dum quærit opes, dū captat honores,
Dum quoq́ delicias expetit, ipse perit,

* * *

Nil

Nil præter lacrymas veniens ad limina vitæ,
Affert, nil effert cum tumulatur homo.
Quis pectus furor ergo tuum percellit Auare,
Vt linquēda tibi sic bona læuus ames?
Hæc fuge, quæ seruans, ab eis seruabere nunquā:
Serpentemq́ue sinu parce fouere tuo.
Perfidus hinc iā, iā procul hinc pellatur amicus,
Qui fugiente fugit prosperitate suos.

Meyerus.

Iustam pauperiem raptas amplectere plusquam
Diuitias: locuples improbus esse potest.
At virtutis apex longè est à fine remotus,
Conscia quæ nescit gaudia, nescit opes.
Nec datus est auri nisi donèc viuitur vsus:
Nulla ast iustitia gloria morte perit.

Biges,

Si cui quam imponit congesta pecunia leges,
Mancipium hoc nullum turpiùs esse potest.

* * *

Quā stultum est præferre bonis æterna caducis,
Diuina humanis, fluxaq́ue perpetuis.

Incerti.

Æstimat esse parū sibi, quicquid habet cor auarum.

* * *

Orco siuè mari mēs æquiparatur Auari.

* * *

Lux-

Luxuriem fugito, simul et vitare memento
Crimen auaritiæ, nam sunt contraria famæ.

* * *

Qui studet nummis hic præfert infima summis
Condita factori præponit & eius amori.

Reusnerus.

De voluptate, siue gula, libidine, & Luxuria.

Nulla adeò in terris affulget pura voluptas,
Quam tetro vitiet non tibi felle dolor.
Contigit humanæ sors isthæc addita vitæ,
Vt subeant lætæ tristia plura vici.
Non secùs ac Soli tenebræ Veriq́ tepenti
Tristior ingrato frigore bruma subit.
Aut veluti tumidas glomerat cũ turbo procellas,
Disjicit incertam per freta mota ratem.
Si sapimus, lætis vtamur, Amice, diebus:
Gaudia non durant, mox fugitiua volant.

* * *

Quem mors non astu vincit, ferroq́: voluptas,
Inuictum vincit sæpè maligna virum.

Grudius.

Luxuriem sequitur celeri pede semper egestas:
Sint gemini comites: hinc pudor, indè dolor.

Euangelista.

Quæ quondam Circe socios mutauit Vlysſis,
Vertit & in sæuas mitia corda feras:

Hæc

Hæc aliud nihil est nobis nisi blanda voluptas,
Æneadum genitrix, & Ioue nata Venus.
Vertimur in varios vultus, variasq́ figuras,
Capti blandicijs, delicijsq́ Deæ.
Vincla diù Circes cum fœdo Elpenore passi,
Dulichium sequimur turba soluta Ducem.

Blyenburgius.

Qui sapit amplexus fugiet coitumq́ Puellæ,
Oscula, labra, thorum, dulcia verba, genas.

Palingenius.

Non tantum Lybicæ Syrtes, vel tecta nefandi
Antiphatæ, vel Scylla vorax, vel sæua Charybdis
Vel quodcũq́ aliud: quantũ est fugiẽda Voluptas.
* * *
Nulla voluptate est res perniciosior: aufert
Consilium, mentemq́ premit, virtutibus obstat:
Corrumpit mores vitiorum maxima nutrix:
Debilitat corpus, sensus obtundit, amaro
Fine nocẽs, homini multorũ causa malorum est.
* * *
Frena voluptati durissima pone: voluptas
Improba perniciem ingentẽ mortalibus adfert.
* * *
Sæua quidẽ plures letho Gula tradit acerbo (mox
Quã gladius. quidquid cẽsus citò deperit: &
Mergitur in vẽtrẽ, fundus, domus, atq́ supellex:
Et modò qui fuerat diues, fit pauper egensq;.
Vt viuas comede, non viuas propter edendum.

Qui

Billius.

Qui vẽtrem tantum curat, pro numine vẽtrẽ
Censet, datq́; animæ pabula nulla suæ,
Pythonici ritu, qui verba ex ventre profundit,
Susq́; velut viuit, sus moriturq; velut:
Truncus is, horrẽdũq́; humano in corpore mõstrũ
Prorsùs ad immanes dignus abire feras. (est,
Vtq́; breui dicam: (Quale *inter sydera quoddam*
Nomen habet.) *Dici debet hic Acephalus.*

* * *

Sÿrenes procùl este, procùl fuge blãda voluptas,
Desine nos cantu perdere velle tuo.
Gaudia nã nobis, quod primũ ostẽdis, & offers,
Id facis vt miseris causa sit ista necis.
Nam velut ex molli nil vnquã excerpitur vua
Vt semel vt præli fluxerit indè liquor: (est
Sic semel vt prælo mortis caro nostra subacta
Non viret ad lusus post rediuiua suos.

* * *

Vox tua, vox mẽdax, ô perfide Munde, voluptas
Namq́; mea est stabilis, dicis, opesq́; meæ.
At fera mors veniens mendacia verba refellit,
Nilq́; tuis opibus vaniùs esse docet:
Illa docet veniens, quam sit tua falsa voluptas,
Quam tua prosperitas ficta sit, illa docet.
O stolidos igitur, qui te mirantur, amantq́;,
Linquere morte tuos qui veniente soles?

Quem

* * *

Quę scabies vrget, tenet hunc nonnulla volup-
In frictu: sequitur maior at indè dolor. (tas
Quærendis opibus gaudens insudat auarus,
Quæsitas sequitur cura, grauisq́; metus.
Sic quoq; qui molles risus & gaudia carnis
Persequitur: Liber quemq́;, Venusq́; iuuant.
Huius erit tandem risus Sardonius: huius
Lætitia in luctum desinet, inq́; crucem.

Porcelius.

Iura voluptatis, Iura doloris habent.

Schellenbergius.

Parcite luxuriem vobis permittere fædam,
Nec blanda vestrum perdite peste decus.
Non sic Ææis animos effæminat herbis,
Pestiferum Circe non ita virus habet:
Vt nocet immenso luxu gauisa voluptas,
Et quæ non modicò corpora fine colit.
Luxuries homines, ceù pisces hamus inescat,
Et trahit illecebris exitiosa suis.
Luxuries populos affligit, & oppida vertit:
Et perdit mores, pectora, corpus, opes.

Forcatulus.

Dulciter occidit, morsu quos attigit aspis,
Morte etiam dulci Pontica mella necant.

Dul-

Dulcia propinat dum Circe pocula, cogit
Ex homine immundam protinùs esse feram.
Esca mali sic spurca nocet, perimitq́; voluptas,
Sacchare quæ nimiam condit amaritiem.

Pierius.

Accessu primo iuvat illecebrosa Voluptas,
Pulchriùs hac prorsùs creditur esse nihil.
Ostendit verò cum perniciosa recedit
Quam fuerit turpis, quā quoq́; fœda nimis.
Tunc animum cruciat, lacerat, premit, ulcerat, angit,
Tunc detestari non satìs ipsa potest.

Macrinus.

Ingenij vires hebetat sagina,
Gloriæ fulgor stolidos inescat:
Hæc caue missa & face: delitescit
Anguis in herba.

Apherdianus.

Languores generat luxus, miserandaq́; fata:
Noxia nam fallax melle venena tegit.
Decolor hinc vultus, flauæ suffusio bilis,
Arthrica, pestiferum febris acerba malum.
Hinc ructus, tussis, vox rauca, frequensq́; screatus;
Hinc putridi dētes, fætor in ore grauis.
Crassa humore nitent, elephantis qualia cernis,
Crura: secat tumidos sæua podagra pedes.

In-

Infestat cerebrum vertigo, lumina fluxus,
Atq; gradum celerans Mors inopina venit.
Non perimit gladius plures, quã luxus ad Orcũ
Tartareum mittit depopulator opum.
Et quem vidisti vinosum, flore iuuentæ
In medio, qui non debilitatus erat?
Haud etenim, mentis pars est, aut corporis vlla,
Inficitur quæ non ebrietate breui.
Cum tristi senio fera mors simul occupat illum,
Dum sit adhuc iuuenis, dumq; vigere putes.

Gyraldus.

Est nulla in terris vnquam sincera voluptas.

Capilupus.

Lasciuæ genetrix blanda Cupidinis,
Vos primum illecebris dulcibus allicit,
Post crudelis amaras,
Miscet sollicitudines.

Sambucus.

Cui meretrix forma placet, vtq; colatur inescat
Perpetuò ad turpes cogeres esse nates.
Has alis, & semper veneraris donèc abundas:
Pauperior cum sis, pellit amica foràs.
Heus fuge scorta procul: nocet empta dolore voluptas.
E venere & Baccho semina mortis eunt.

* * *

Qui

Qui currus trahitur ceù domitis equis,
Et quo grata voluptas ſedet, & penès
Illam quas comites ſemper habet ſuas,
Naturam illius innuunt.
Et duplex etenim, ſuauis, & improba,
Monſtrat læua manus commoda quæ vehat
Hæc, quæ dextra ferat cernis & obuiam.
Albo hæc, illa nigro eſt equo.
Læuam vina, venus, ſæpè etiam dolor,
Et facti comes eſt quem quoq; pænitet.
Saltantem ſtimulo promouet, & Puer
Cæcus curat equum nigrum.
Sed caſtæ ſocij ſunt bona publica,
Virtutes celebres, gloria, candidi
Lenti auriga, & equo concomitans honor:
Dotes appoſitas habent.
Tu quicunq; ſapis, delige dexteram
Ac Læuam fugito: præmia ſunt enim
Æterna illius, aſt huius ab omnibus
Deteſtanda bono, & pio.

* * *

Quid magìs auerſum eſt à Relligione ſeuera,
Mancipio quam ſe dedere luxuriæ?

Iodelius.

Sera parit ſatiata voluptas
Tædia, ſi Nemeſim, Furias, Epimethida ſecùm
Accelerata trahit luxu inſtigante ſenectus.

Heu

Agricius.

Heu mihi! quam diras nigranti peste procellas
Excitat immensæ vasta vorago gulæ:
Non tam multisonis Thyrrhenũ fluctibus æquor
Fertur commoti per vada salsa freti,
Quam varijs orbis teritur vitijsq́, malisq́,
Mellea dum dulci pocla liquore madent.
En primum vino spumoso cantharus vndans
Obnubit radijs lumina vincta suis:
Mox velut anguineo squamosior ore colubri,
Cerbereis miscet pabula mersa vadis.
Turbida vipereis humectans membra venenis,
Implicat, heu! duram mors truculẽta necem.
Tetra per internos exercens funera morsus,
Intimaq́, anguineo viscera felle ferens.
Sic it Luxuria Bacchus circumfluus alta,
Vnicus effusæ Duxq́, Paterq́, gulæ.

Mediolanensis.

Gaudia florentis vitæ presentia, certum
Indicium æternæ perditionis habent.

Morualensis.

Quos Veneris modò,
Pessima postmodò
Flamma gehennæ,

Torret, agit, terit,
Hic furit, hic ferit
Vltio pœnæ.
Pectora crimine,
Membra libidine
Torrida, torret,
Falsiloquos premit,
In tumidos fremit,
Omnibus horret.

* * *

Non modo plumbea,
Sed iacit aurea
Tela Cupido.
Perdidit omnia
Lite superbia,
Sorde libido.
Hæc duo retia
Sunt, capientia
Iam propè cunctos:
Tam sibi crimine,
Quam sibi sanguine,
Carneq; iunctos.

Floretus.

Effuge luxuriam, quia tollit philosophiam:
Mortificat animam, lædit cum corpore famam,
Subuertit censum, tollit cum corpore sensum.
Lites adducit, & plurima scandala ducit.

Pone

Pone gulæ frenum tibi, vel dabit ipsa venenum,
Est sibi damnosus in multis quisq; gulosus.

Incerti.

Gaudia sectari, vel diuitias imitari,
Hæcq; ministrari tibi si cupis, aut epulari,
Carcere damnari te noueris, ac cruciari;
Sed probitate pari, si vis sinè fine beari.
Hæc declinari citò debent & reprobari.

* * *

Pisces perdices, vinum, nec non meretrices,
Corrumpunt cistam, vel quicquid ponis in istã.

* * *

Sperne vagam venerẽ, fuge blandiloquã mulie-
Rem dispectiuam, rẽ fluxam, remq; nociuã. (rẽ,

* * *

Mentes corruptas excæcat blanda voluptas.

* * *

Sperne voluptatem, pulchram cole sobrietatem:
Hæc quos prostrauit, virtutibus euacuauit:
Et quos subiecit pecudes sinè robore fecit.
Hæc regit & munit superis coniungit & vnit.

Sambucus.

Monstra alit Ægiptus, Niloq; latentia paßim De ebrietate fugiẽda.
Sunt mala, non tutum vt sit posuisse sitim.
Id canis expertus, simul vt sitis vrget amara,

Non properat gelidis mergere guttur aquis:
Sed lenitèr fauces adhibet, lambitq́; cauendo
Noxia nè potans amne venena trahat.
A multo refugit potu, & tetigisse paludes
Sufficit, hoc vitam sustinet ille modo.
Fœdiùs hoc peccant sinè qui discrimine sempèr
Implentur cyathis, brutaq́; se efficiunt.
Ingenium euertunt, rixis agitantur iniquis,
Forma refert homines, sed rationis egent.

Reusnerus.

Sæua, feroxq́; licet, posito panthera Lyæo
Ebria, captiuas dat sinè lite manus.
Quē Mars haud vincit ferro, sinè robore vincit
Compedibus Bacchus *sæpè Venusq́; suis.*
Crine potens Sampsō, inuictus robore quondam,
Pellicis infamis victus amore perit.
Magnus Alexander Dux insuperabilis armis
Occidit, Herculeis haustibus antè diem.
Hannibal à Latio superatur milite Pœnus
Asiduò luxu languidus, atq́; mero.
Plus Venus & vinum quā vis ferrumq́; nocere
Sæpe solet: medium qui tenet ipse sapit.

* * *

Luxus dulce malum, iucunda fallere fronte,
Appositam mortem Luxus habere solet.
Ingluuies, res fæda, vorax: res, crapula turpis:
Sobria vita pios mensaq́; parca decet.

Non

Non ſic Ætna grauis, non ſic Vulcania tellus,
Æſtuat: vt nimiùm cor iuuenile mero.
Scilicet inflammant vitales vina medullas
Et furiant mentes, ingeniumq́; premunt. (na,
Quid, quod nequitiã pariunt, & crimina mag-
Hinc pudor, hinc probitas, hinc metus omnis abeſt? (bos?
Quid cædes, rixasq́; loquar? quid deniq́; mor-
Crapula quos cerebro, ventriculoq́; parit.
Diſcite mortales, vino moderatiùs vti
Atq́; cibo: Superis vita modeſta placet.

Decimator.

Nas cũ Theſpiadũ prælustria caſtro ſequamur,
Haud decet vt rabidas luxuriare feras.
Sufficiat modicè laticem guſtaſſe Lyæi
Qui vaga curarum tela fugare queat.

Nuyſſenburgius.

Cum neq́; fur, mœchus, latro, Bacchiq́; miniſter,
Vt dicit Paulus, cælica regna petet.
Sic, ſi vis rutili pertingere culmen Olÿmpi,
Regia ſi Chriſti tecta ſubire velis:
A furto palmas, aliena à coniuge corpus:
A crapula, & rixa continuiſſe decet.

Palingenius.

Ebrietas eſt vitanda, ingluuieſq; ciborum: (brũ
Quippè caput ſtomachũq; grauant, fumiſq; cere-

Inuoluunt, stupor hinc sequitur sonusq; diurnus.

* * *

Sordidior quæ res quæ belua vilior est quam
Ebrius? Hic epulas quas non multò ante vorauit
Euomit, atq; mero putet: tremit ille, caditq;
Sæpè caput frangens, oculosuè aut crura: loquēdo
Balbutit, nec habent vllum verba edita sensum:
Multa facit multa & dicit, quæ mox vbi nubes
Discussa est, rediitq; iubar; damnantur ab ipso
Autore: vndè rubet factis, infectaq; vellet.

* * *

O fœda Ebrietas animi lethum, ò Vitiorum
Nutrix ac scelerum, quid non mortalia cogis
Pectora? quid per te non audent? Iurgia, lites,
Prælia dira moues, & gaudes sanguine fuso: (uis:
Per te occulta patent, animum, linguamq; resol-
Te fugiunt metus, atq; pudor: vitate pudendam
Hanc pestem, ô miseri, quæ vos facit esse furētes,
Nec minùs insanos reddit quam mater Orestē.

* * *

Non Deus est Bacchus vester, Cadmeia propago,
Nec Ioue plena vtero Semele concepit: at ingens
Tartarus hūc genuit puerum, de matre Megæra:
Nō Deus est, sed nempè Deûm contēptor & osor.

* * *

Hi diuina parum curant, qui vina sequuntur,
Nec benè tractabit vinosus sacra sacerdos.

Posthius.

Ebrie-

Ebrietas docuit primas agitare choreas,
Et cecinit primos ore rubente modos.
Hinc adeò in madidis cantatur vbiq; tabernis,
Hinc amat obſcænos ebria turba choros.

* * *

Quis typus hic? Stolidæ vera Ebrietatis imago.
Cur ea veſte caret? demens ſecreta reuelat. (eſt.
Quid gladius? cædes & vulnera. Cornua quidnā
Deſignant? Reddit petulātes. Illa corona (narchis
Quid ſceptro ſuſpenſa? adimit nempè iſta Mo-
Cur velati oculi? occæcat quia lumina mentis.

* * *

Scilicet Ebrietas eſt hoſte nocentior omni,
Corporis atq; animi quæ bona cuncta rapit.

Lorichius.

Vina cæleſtes animos honeſtis
De vijs trudunt violentèr, atq;
Corporum tollunt rapido vigores
Turbine cunctos.
Senſus humani dominam trucidant,
Sola quæ dux eſt Ratio virorum,
Totius vitæ ſimul & beata
Induperatrix.
Orphanos magnis inopes adæquant
Regibus, mentes ſimul vtriuſq;
Vt volunt captas rapiunt, rotantq;
Impete vaſto.

Quic-

Quicquid arcanum reſidet medullis
Intimis produnt, truculentiorum
Nemo tortorum poterit quod atris
Eruere vncis.
Ferreis ſtringit velutì catenis
Membra luctator temetum doloſus:
Nemo tam fortis, magè forte quem non
Vicerit ille.
Liberum, ſeruum, locupletem, egenum,
Quolibet Bacchus trahit atq; torquet,
Siuè gaudentes cupias videre
Siue gementes.

Fungerus.

Vina gradu offenſo cogunt titubare phalanges,
Hoſtium & in ſæuas arma venire manus:
Qui trepidos fundunt, turbatiſq; acriter inſtãt
Atq; homines, veluti ſaxa lutoſa, premunt.
Viua etiam rixas pariunt, cædeſq; nefandas
Oppida per quæuis grandinis inſtar agunt.
Vt paucis ideò complectar plurima verbis,
Vtq; ſcias mentem, conſiliumq; meum:
Fac quandò bibiturus eris tam nobile nectar,
Luxuriam fugias nè mala damna feras:
Auxilium præſtet: membris languore ſolutis,
Exſoluat curis pectora mæſta ſuis.
Aut lapſum crudi ſtomachi reſtauret orexim:
Hos etenim fines tranſiliiſſe nocet.

Ebrie-

Laulerbachius.

Ebrietas stultos facit, & , damnosa libido;
Insipiens sequitur qui sinè fine merum.

Melissus.

Rident turpe Pholi genus, & potabimus, aiunt,
Quo fluat ex vdis plurima gutta oculis.
Bestia, venter iners, nescis heu quod tibi quōdū,
Aut quātis stabunt hæ lacrhrÿmis lachrymæ!

Hecquetius.

Et Venus, & Bacchus seniū ipsis vultibus addūt.
Saltatur pedibus, mensas Bacchus mouet, atq́;
Conuiuas facit immemores, vel totius orbis
Et curas, & onus tollit, duroq́; furore
Excitat ingenia, & mentes litesq; ministrat.
Furfurea hinc prurigo venit, pituita, podagra.
Hinc fit vt doleat vesica, grauesq; dolores
Colligat, hinc stomachi ventris quoq; tormina
surgunt

Ales.

Bacchus debilitat mentes, impellit ad arma:
Non alitèr, quam si læsus moueatur in hostem
Marsus aper, latitetq; cauū sub pectore vulnus.

Andrelinus.

Immodicus lædit, ceu dira cicuta, Lyæus;
Non facit ad longam crapula multa diem.

Vinosus

Meyerus.

Vinosus, facere & solitus conuitia: quales
Aut mœchus pœnas, aut homicida luent;
Et qui delicijs gaudent, nam tempore paruo
Corpora, ceu vitulus mox iugulandus, alunt.

* * *

Sollicitè fugites omnes ad pocula cætus:
Sin ades ebrietas absit abusa mero.
Læsus vbi est animus vino, sic fertur habenis,
Currus vt auriga destituente vagus.

Agricius.

Vt virides radiant verno spiramine fætus,
Vt niueis candent lilia acana comis,
Quæ rigidi horrifero Boreæ pulsata tumultu
Flaccent squalenti marcida facta solo.
Sic quoq́ forma perit vino splendente corusca,
Membraq́ demerso robore fracta cadunt:
Hunc cæpit fluxus laceranti labe cruoris,
Hunc quatit ardenti febris anhela gelu.
Hunc putri innascens deturpat corpore lepra,
Fractaq́ præcipiti funere membra scatent.
Et putri illuuie, sanieq́ fluentia spurca,
Hulcera concrescunt, ossibus algor inest.
Degunt exilem tecto sub paupere vitam,
Extendit fluidas horrida forma manus.

* * *

Intima depositi produnt secreta profundì

Des-

Despumat blæsos lubrica lingua sonos
Fundunt oppresso verba intercepta palato
Blæsaq́; cum pulchris stat malè lingua sonis.

Apherdianus.

Immodicè Bacchi sumit qui munera, linguæ
Vsu priuatur, fit quoq́; mentis inops.
Turpia committunt tales, obscæna loquuntur,
Quid decet, ignorant, & pudor omnis abest.

* * *

Ante oculos hominis temulenti ponito mores,
Perpendens animo facta pudenda tuo.
Turpiùs esse nihil cernes, & viliùs illo,
In stolidum dices degenerasse pecus.
Cestibus indomitis, sedet, vt furiosus Orestes,
Mensa tremit manibus, terraq́; pulsa pede.
Continuò exorbet quantū nec vasta Charybdis,
Haustìm auidèq́; bibit: nescit habere modum.
Tunc canit & saltat, clamando Stētora vincit:
Effundit tremula pocula plena manu.
Accingit Marti tandem se, tela requirit,
Et furit, vt frendens ore patente leo.
Sæpè cadit, caput offendens & crura, loquendo
Balbutit, sensu garrula verba carent.
Per fora, per vicos, mouet & percompita risum
Cum geminans gressus ad sua tecta redit.
Quid? quod luctādo titubantē pertrahit vxror
In lectum, vomitu polluiturq; thoral?

In mediam lucem ſtertit: cum ſtrata relinquit,
Oſcitat: & multum pandiculatur iners.
Si quid aget, lento greſſu procedit ad illud,
Tunc velùt attonito membra labare vides.
Hic quid in officio tandem præſtare valebit,
Quem liquet inuitum munus obire ſuum?

Billius.

Ebrietas à me procùl eſt (hoc dicis in horas)
Nec nimio eſt vnquam mẽs mea mota mero.
Quid tum? ſi pectus tenet inſaturata cupido,
Iræ ſi ratio dat tua victa locum.
Si leuibus cauſis alios inceſsis: eriſnè
Sobrius, exigui ſis licet ipſe meri?
Sobrius eſſe poteſt, ratio quem deſerit omnis?
Nec madida ebrietas, nec mihi ſicca placet.

Dedekindus.

Egregios homines, qui magna negotia tractant,
Quoſq; vagum meritò vulgus honore colit:
Non decet inſana nimis ebrietate grauari,
Ne poti, quod non conueniebat, agant.
Ebrietas victor ſibi ſubÿcit improba ſenſus,
Seq; velut dominam mentis in arce locat.

Happardus.

Lubrica nè ſegni conſumas tempora luxu,
Ne mentem minuas ebrietate tuam.

Sed

Sed forte ad pingues si carpis gaudia mensas,
Prouidus à nimio disce cauere mero.
Qui sapiens aliàs, spumantia pocula reddunt
Amentem, & crasso membra sopore rigant.
Ergò surge priùs, quam te temulentia vincat,
Vt maneas custos mentis, vt antè, tuæ.
Nam veluti excusso currus sinè lege magistro
Hùc illùc volitat, qua furor egit equos:
Sic etiam vino mens iam correpta liquenti
Fluctuat, & præceps in scelus omne ruit.

Biges.

Visus hebet, fumant artus, cerebrumq́ rotatur,
Nec facit officium pes, animusuè suum.

Alanus.

Ebrius ante bibit, quam nauseat, ante ligurit,
Quã vomat, ante leuat, quã pede firmus eat.

Morualensis.

Vina venus cupit,
Hac face mens furit,
Actio fumat:
Mox stomachus satur,
In Venerem datur,
In probra spumat.
Viscera pastibus
Os dare potibus

Est modo clarum:
Et Venus, & Gula,
Sunt modo regula
Ventricularum.
O malè visibus
Interioribus
Exoculati
Cur malè viuitis,
Armaq́ traditis
Ebrietati.

Floretus.

Vt tempestatem fuge, vel magìs ebrietatem:
Mens alienatur, corpus vino vitiatur:
Sensus turbatur, secretum notificatur:
Lingua minùs fatur, vino verbum variatur:
Vultus fœdatur, & rixa frequens generatur:
Vis eneruatur, Sapientis mens hebetatur.

* * *

Crapula vitetur, nè corpus, mensq́ grauetur:
Nausea non detur, vt morbus non dominetur:
Nec homo damnetur, vel vita sibi breuietur.

Incerti.

O fili, sperne delectamenta Tabernæ,
Tali dulcore multi priuantur honore.

* * *

Bacchus & argentum mutant mores sapientum.

* * *

De plenis cyathis multos periisse sciatis.

* * *

Ebrietas prodit quod amat cor, siuè quod odit.

* * *

Si per vina labes, non vini sed tua labes.

* * *

Viuere vis lætus, vel sana mente quietus:
Dæmonis vt linum, sic mordax effuge vinum.

* * *

Impletus venter vult luxuriare libentèr.

* * *

Ebrie quid faris? viuis vel morte grauaris?
Quid facias nescis: truncus sinè mente quiescis.

Iunius.

Pãpineis cristatus Epops, vide, vt æger ab vuis, De Sobrietate.
Munit adianti se virente ramulo.
Se Sophiæ monitis mẽs, serua affectibus, armat:
Temetiq; vires frangit Abstinentia.

Chytræus.

Dum lychnus manet erectus genialitêr ardet,
Et toti seruat luce sua domui:
Si vertas: liquor exundans interficit ignes,
Scintillis tremulos obstreperosq; suis.
Si nescis: vitæ hic propriæ tibi lucet imago,
De frugi quemuis sobrietate monens.
Sume cibum & potum modicè: tum flãmula vitæ

Salua erit inque suo læta vigore manens.
Te nimijs distende cibis, aut obrue poclis
Assiduis, & mox crudus & æger eris.
Mancipiumq; breui mortis, gelidiq; sepulchri,
Corporis & fies trux homicida tui.

Apherdianus.

Omnia Sobrietas priuata & publica seruat,
Baccheio luxu regna domusq; ruunt.
Sobrietas sensus, & mentem sola tuetur,
Ebrietas hominis dissipat omne decus.
Hæc est tempestas linguæ, capitisq; procella,
Illa cauet dictis, iudiciumq; regit.
Dux Senonum Brennus validas incenderat ar-(ces,
Obruta cum vino prodiga Roma foret.
Antiochus Syriæ Rex cum celebraret Iacchum,
Et fœdam Venerem, victus in arma ruit.
Luminibus captum Cyclopem cautus Vlysses
Reddidit, vt biberat nigra Falerna miser.
Occidit Elpenor scalis delapsus ab altis,
Pocula post liquidi largiùs hausta meri:
Assyrius fuerat Dux insuperabilis armis,
Sed caput amisit munere Bacche tuo.
Hæc exempla monent: felicia fata videre
Qui cupit, vt viuat sobrietatis amans.

* * *

Corporibus vires moderata alimēta ministrāt,
Atq; eadem si sint immoderata, necant.

Volum-

* * *

Voluntaria potio bibenti
Est gratissima sempèr: at coacta,
Est vino atq; viro pudenda: tellus
Profusum vomitu resorbet illud:
Potorem rapit vnda amara Lethes.
Ergo ô Ebrioli valete; vinum,
Mî sumptum modicè placet, suaui
Quod nostram exhilarat vapore mentem:
Excessum cane peiùs odi & angue.

Ayala.

Laudate, ô moniti, vitæ quæ sufficit escam
Simplicē & omnigenas nèc cumulate dapes.
Sit potus satìs ille, sitim qui extinguere possit,
Qui viuunt vt edant, hos Epicurus alat,
Vt cibus, ob vitā: ob virtutē ita vita petatur:
Illa modum vitæ ponat: at ista cibis.

Aulæus.

Noxius immodicus cibus est; vis viuere sanus?
Sufficiant stomacho fercula pauca tuo.

Vida.

Natura disces quantuli indigeat cibi,
Ne transmarinis sit opus apparatibus.

Hessus.

Ingenium vis multa cibi suffocat, & aufert:

Appositam mortem Luxuria omnis habet.

Lauterbachius.

Sobria virtutes parit, ebria vita tumultus,
Impedit Ebrietas flagitiosa bonum.

Hecqustius.

Pocula fac natura habeat, non spurca voluptas.

Papa.

Vita patrum quondã, & priscorum vita sophorũ
Non nisi frugali floruit vsa cibo.
Nuda Ceres placuit, placuit Cereale legumen,
Vnda dedit priscis pocula, silua dapes.

Alanus.

Nescit homo quid dulcis habet dulcedinis esca,
Qui nunquam didicit quid foret ipsa fames.
Post sitis ardorem, post esuriem duo nobis
Dulcia sunt valdè, potus & ipse cibus.
Dulciùs hærescunt humano mella palato,
Si malus hoc ipsum mordeat antè sapor.
Qui patitur frigus, calidos veneratur amictus,
Qui morbum magnum sorte salutis ouat.

* * *

Substrahe ligna foco si vis extinguere flammas,
Si carnis motus: otia, vina, venus.

* * *

Non

Non minùs est dulcis paruo de fonte recepta
Quam quæ de magno flumine fertur aqua.
Et cadus & dolium retinet quandoq; Falernum,
Nec dolium meliùs, quam breuis ipse cadus.
Nec magìs egregio dulcis quoq; potus in auro,
Quam facit in vitro quod minùs esse valet.

Floretus.

Vinum sumendo sis sobrius, & comedendo.

Incerti.

Non tibi sit dominus vēter, sed viue decentèr:
Parcus vescendo, parcissimus esto bibendo.

* * *

Sicut sobrietas facit vt sit longior ætas,
Sic facit ebrietas vitæ breuiare diætas.



TITVLVS V.

Prauorum societas sollicitè vitāda, non omnibus fidendum, & bonorum consortium quærendum.

Burchius.

Disce bonos sectarier, & consortia vitæ
Quæ potes arte, mali fœda sodalitij,
Nec tam sollicitè, quid edas inquire, bibasuè,
Quam qui sunt illi cum quibus hocce facis.
Obliquat rectos mala conuersatio mores,
Nec facilè effugere est, quod tibi sẽper adest.

* * *

Magnis quem tibi coniungas delectus habẽdus,
Nec temerè in socium sumere quemq́; decet.
Nam si cum prauis est conuersatio, fœdat:
Ac sensim mores polluit illa bonos.
Et licet ignores, vitium, labemq́; silentèr,
Allinit, vt tactu pix maculare solet.
Verũ vt qui digitis fragrantia aromata tangit,
Sentit odoratas hic redolere manus:
Sic bonus & recti cultor, plerumq́; Sodali
Virtutis tacitos affricat igniculos.

Sambucus.

Iunge tibi socios pulchræ virtutis amore,
Nam Venere & Baccho iuncta, repẽtè cadunt.
Causa ligat gratos hæc fœdere semper amicos,
Altera sed subitò dissoluẽnda venit.
Ostendunt animos etiam, mentemq́; reuelant,
Cum quibus assiduè viuis amore, fide:
Ac velutì visco si occurrat rete ferendo
Quis tibi, nè quæras conditionis opus:

Sic delectatur qui consuetudine praua,
Est similis socio moribus ille suo.

Lauterbachius.

Quos iungit Pietas, vero iunguntur amore,
Neruus amicitiæ Relligionis amor.
Pro meritis meritum compensat amicus amico,
Vnus amicitiæ sensus, & vnus amor.

* * *

Candor amicorum vitæ iucunda supellex,
Thesaurus superans, verus amicus, opes.

* * *

Cum fatuo fatuus, Sapiens Sapiente vagatur:
Vita hominum mores quotidiana docet.

Aulæus.

Firmior æquales inter concordia semper:
Si tibi vis socium iungere, iunge parem.

Camerarius.

Triste filix calamis, filici quoq; tristis arundo;
Qui socium cupies quærere, quære parem.

Læsius.

Doctorum pete congressus, nam plurima discit
Attenta doctos qui bibit aure sonos.

Palingenius.

Haud facilè est tribulos & spinas inter euntem,
Illæsos

Illæsos habuisse pedes, illæsaq́ crura.

Apherdianus.

Consuetudo potest quorum te reddere doctum,
Atq́ probum cura conciliare tibi.
Et sceleratorum fugito commercia longè:
Est & nigra quibus tangere cauda, caue.
Vt mala vicinæ lædunt contagia pestis,
Vsus prauorum noxius esse solet.
Euadet Sapiens, quisquis sapientibus vti
Gaudet, erit felix, & benè cuncta geret.
At qui stultorum socius cupit esse frequentèr,
Hunc (vt ait Salomō) tristia multa coquent.
Vt pecces, si te studeant lactare scelesti,
Desere, nè noceant dulcia verba tibi.
Quamlibet hic blandos se præbent, callis eorum
Est tibi vitandus, tutus vt esse queas.
Nil etenim curant hi, quam seducere iustos,
Et trahere in nassam, quos periisse velint.

* * *

Conductas habitans cum carbonarius ædes,
Fullonem socium vellet habere sibi:
O homo, quod tentas, fullo, non vtile, dixit,
Nam tu fuscares candida quæq́ mihi,
Quod videas igitur minimè conducere nobis,
Hoc me desistas sollicitare velim.
Hæc sceleratorum monet vt consortia vites
Fabula, sed studeas semper adesse bonis.

* * *

Beatus esse si velis,
Cœliq́; delicijs frui,
Consilia eorum, qui student
Abducere à cultu Dei,
Rectaq́; viuendi via
Mentes piorum, nec iuuet
Sequi, nec acquieueris
Ab impijs lactarier
Si sentias te: sit procùl
Amicitia eorum Stygis
Nos ad lacum quæ pertrahit
Rident Deum, nec sidera
Illius esse condita
Credunt manu. Plutoniæ
Sedes nihil sunt, hinc vides
Futura negligi bona,
Solam voluptatem coli,
Plutiq́; quæri munera.
Tu precibus, & ieiunijs
Vaca, sacros legito libros,
Domaq́; carnis spiritum,
Placeas vt æterno Patri.

Buchananus.

Felix ille animi, quem non de tramite recto
Impia sacrilegæ flexit contagio turbæ:
Non iter erroris tenuit, sessorvè cathedræ

Pes-

Pestiferæ, facilem dedit irrisoribus aurem:
Sed vitæ rimatur iter melioris, & alta
Mente Dei leges, noctesque diesque reuoluit.

Schellenbergius.

Pampinus gaudet generosus vlmo:
Rostra collidunt pariles columbæ:
Semper agnatis magis est amica
Copula rebus.
Haud secùs Virtus generosa mentis,
Cum pares quærit socias, sibique
Iungit æquales aliundè mores,
Dulcior extat.

Lemannus.

O quam illi benè, & est viro beatè!
Qui non consilio interest malorum,
Nec turbæ ingreditur vias scelestæ,
Risorumuè sedet malus cathedris:
Sed in lege Dei sua est voluptas,
Inque illa meditatur vsque & vsque
Noctes iugitèr integras diesque.

Vranius.

Euadit Sapiens, qui cum Sapientibus omni
Tempore versatur, nil nisi honesta videns.
Fit contrà insipiens, qui non sapientibus aures
Commodat, ac stolido gaudet adesse gregi.

O ter

Ganeius.

O ter beatum, terq́; felicem virum
Qui non adhæret impiorum conſilijs,
Nec cum improbis ſeſe in viam dedit: neq́;
Si fortè in illos incidit, diutiùs
Permanſit, at pedem citò indè rettulit:
Multo minùs verò locum elegit ſibi
In peſtilentium cathedra, interq́; eos
Qui nec Deum agnoſcunt ſuum, & ludibrio
Contemptuiq́; habent viros omnes bonos.
Quamquam nec vlli exiſtimandum ſit ſatìs
Deflectere à malo, pietatem nî colat:
Beatus ergò eſt: à vitijs qui ſe integrum
Purumq́; ſeruat, inq́; meditandis Dei
Noctes dieſq́; legibus ſeſe occupat,
Et inſtitutis paret eius optimis.

Hortenſius.

Lubrica corrumpunt mores exempla tenellos
Integros, faciles perdiſcere fœda, nefaſq́;.
Verba ſonant medio meretricia fornice nata,
Qualia lenonum Pueri, molleſq́; cynædi,
Fundere turpe putent. cernũt quæ dicere nõ fas,
Quæ natura tegi voluit, iuſsitq́; recondi.
Hinc fit cur ſtupeant, alienenturq́; puſilla
Pectora ab Aonidum ſtudijs atq́; Hippocrene.
Haud facilè eluimus primos quos pura colores
Lana bibit, ſeruatq́; diù noua teſta ſaporem

Quo primum est infecta, annos & durat in omnes.

Flaminius.

Beatus ille, qui nec audit impios,
Nec perseuerat improbus
Peccare, nec lætatur irrisoribus
Se pessimûs adiungere:
Sed mente pura diligit leges Dei,
Illasq́ semper cogitat;
Seù nox sopore amabili, seù lumine
Sol candido terram irrigat.

Meyerus.

Sanctorum alloquio, vel consuetudine gaude
Impetus ad frugem nascitur inde bonam.

* * *

Nulli des operam sceleri, neù facta nocentum
Defendas, etiam conscius esse fuge.

Stigelius.

Beatus ille qui procul congressibus
Remotus est ab impijs,
Et semitam perosus euagantium
Gradu stat imperterrito.
Deumq́ deridentium procacibus
Non assidet subsellijs.

Ballista.

Tu congerrones salsos, simul atq; disertos
Delige, quorum sint ora referte Iocis.
Quorum sit grauitas festiuo sparsa lepore,
Linguaq; non vana garrulitate strepens.
Colloquio hos admitte tuo, sed trude bilingues,
Palpones, & qui tristia verba sonant.

Bologninus.

Nam benè queq; suis annis si æquare velimus,
Et metam ætati ponere cuiq; suam.
Non bene Phaethonti patrius præbebitur ignis,
Non benè concurret Troilus Æacidæ.
Nō benè Rex Priamus cū Pergama capta videbit
Induet arma senex debilitate cadens.
Sed benè cum paribus Iuuenis colludet Iulus
Et pater Æneas fortis ad arma ruet.
Anchises senior tantum grauitate vigebit,
Et sua portabit pondera quæq; dies.

Flotetus.

Elige consortem qui sanctam dat tibi sortem.
Si Sanctos sequeris, sanctus sic efficieris,
Sed peruerteris, si peruersos comiteris.

* * *

Omnia contacta vt denigrat pix calefacta;
Sic maculat cunctos prauus socius sibi iunctos.

Vestra

Incerti.

Vestra conuersatio sit relligiosa:
Munda Conscientia, vita virtuosa:
Regularis habitus, mensq́ gratiosa,
Nulla vos coinquinet labes criminosa.

* * *

Talis semper eris, consortia qualia quæris.

* * *

Sic fuit, est, & erit, similis similem sibi quærit.

* * *

Eligat æqualem Prudens sibi quisq́ sodalem.

* * *

Illos deuita, quos infamat mala vita.

* * *

Surgit origo mali de turpi sæpè sodali,
Per prauum socium, vir venit in vitium.

* * *

Rebus inhumanis tria sunt peiora venenis:
Peruersus socius, mala fœmina, falsus amicus.

Erasmus.

Non omnibus fidendum.

Rumores hominum cures vitare molestos,
Fama malũ est: oritur, surgitq́ facillima: verũ
Difficilè hanc perferre, graue est sedare coortã?
Nam non vlla quidem prorsũ perit irrita fama
Per populos quæcũq́ volat, quia numẽ & ipsa est

* * *

Sic

Sìc facito, vt linguâ cunctis videaris amicus,
At factis cuiquam te caue miſcueris.

Caſa.

Mentem blanditiæ perdere credulam
Norunt, non ſecùs, ac mortiferas malæ
Multo melle nouercæ
Olim cum medicant dapes.

Badius.


Vir bone, ſpiritui ne credas protinùs omni.

Sapiens.

Eſto ſubtilis diſcretor conſiliorum:
Non citò falſa leui credulitate probes.

Incertus.

Non pateant faciles vanis rumoribus aures.



TITVLVS VI.

Principijs obſtandum, à malo declinandum, & inſipientèr nihil agendum.

O Iu-

Posthius.

Principijs opstandum, & à malo declinandum.

O Iuuenes reuocate animos à turpibus ausis;
Nam vitio vires tempora longa dabunt.
Cernitis vt soleant habitum quandoq́ bibendi
Nolentes etiam conciliare sibi.

Billius.

Pellere non toto diffusum corpore morbum
Est facilè: at toto corpore difficilè est.
Criminibus multis labor est adhibere medelā:
Exiguo pelli pauca labore queunt.
Qui Christum metuens in fraudem labitur, ille
Crimine, purgata mente, repentè valet:
At quam difficilè est hominem curare, Deū qui
Haud timet, atq́ volens in scelus omne ruit.

Maerius.

Quære voluptates, celebris quibus adsit hones-(tas,
Quæq́ tuum nomen sydera ad ipsa ferant.
Si mala secteris, fædum tibi nomen inures:
Si virtutis amor sit tibi, clarus eris.
Sitq́ infixa tuo diuina Modestia cordi,
Turpia sic disces spernere, iusta sequi.

Porcelius.

Plagæ recens meliùs curas admittit amicas,
Quam quæ per longas tabuit antè moras.
Corrigere & potiùs studeas delicta, tuumq́

Erro-

Errorem, mores quam tueâre malos.

Chytræus.

Principijs obsiste puer, cum te Satan ater,
Sollicitat, mentemq́; suo sensim occupat astu
Te vitio indulgere iubens, & pergere gressu
Intrepido vlteriùs. nam sic horam vsq́; sequetur
Tota dies, mensisq́; diem, mensem integer annus,
Annũ lustra aliquot: donèc sic compede vinctus
Sis satanæ, nulli post expediendus, vt erres
De vitio in scelus, & sceleris ferale barathrum,
Tartareasq́; adeò fauces lacrÿmabilis Orci.

Sed tibi quod fieri nolles,* ne feceris* vlli.*
Nec verbis impurus eris, factisuè pudendis:
Non fœda ingluuie. cautè hic obstare mementò
Flammarũ igniculis, sumant nè incẽdia vires,
Ignara extingui propria nisi fortè ruina.

Palingenius.

Ignis ab exigua nascens extinguitur vnda,
Sed postquã creuit, volitantq́; per aëra flammæ,
Vix putei pontes. fluuij succurrere possunt.

Blyenburgius.

Dum nouus est, cepto potius pugnare dolori
Conuenit: exigua flamma necatur aqua.

Ayala.

Scilicet abscindenda omnis progressio, primo
Tem-

Tempore: sublato fomitè flamma perit.

Burchius.

Vt iusti, fortisq́; viri nomen mereâre,
Non satis est factis abstinuisse malis:
Verum opus est etiã quod sit laudabile præstes,
Et te demonstres per benefacta bonum.
Nam quamuìs obsis nulli, prodesse cuiuis
Nì studeas, falsò diceris esse bonus.

Hessus.

Quæ bona sunt facito, fuge quæ mala cumq́; videntur.
Maxima quæsitæ commoda pacis habes.

* * *

Desere quæ mala sunt, pete quæ bona; semper habebis
Optima viuendi cõmoda, semper eris.

* * *

Dilige quæ bona sunt, rectũ cole, iusta require:
Hæc faciens alma pace beatus eris.

Iongius.

Contrahe lasciuæ petulantia frena Iuuentæ;
Et te Iustitiæ debita serta manent.

Chytræus.

Insipiẽter nihil agẽdum. *Nil sinè consilio facias prudente: peractas*
Sic poterit nunquam res Metanæa sequi.

Res

Vranius.

Res benè succedet, læto neq́; fine carebit,
Consilio regitur quæ moderata bono.
Exitus infelix sequitur temeraria facta,
Quæ sine consilio sunt benè cæpta parùm.
Expedit in cunctis rebus capere antè salubre
Consilium, quam res aggrediàre nouas.
Nam sinè consilio qui magna negotia demens
Accipit, hunc certè sæua pericla manent.
Exitium parit ille sibi quandoq́; dolendum,
Cum Phrygibus serò desipuisse gemens.
Vtile consilium non est post facta, sed antè:
Post bellum velutì nil valet auxilium.

Erasmus.

Donare pauper diuiti velim nihil,
Nè stultus habear scilicet; si muneris
Titulo atq́; specie dona videar poscere.

Posthius.

Quicunq́; incertis inhiàt, & certa relinquunt;
Hi stolida pœnam pro leuitate ferunt.

Franchinus.

Horribilis niueo feritas in pectore turpis,
Turpis formosò toruus in ore furor.

Politianus.

Consilio perit ipse suo consultor iniquus.

Andrelinus.

Omnia qui recto metitur pondera ſenſu,
Non timet euentus facta ſiniſtra ſui.

Badius.

Ipſe tuis rebus benè conſule, deindè alienis,
Vtilis eſt nulli qui ſibi adeſſe nequit.
Dulcè quidem eſt curis alienum auertere caſum
Sed ſtultum eſt proprium non fugitare malũ.

Incertus.

Actus per ſtultos facies hoſtes tibi multos.



TITVLVS VII.

De Mendacio, Riſu, Luſu, & Somno.

Chytræus.

De mendacio. *In, dictis factiſq́; tuis promittere noli*
Quod præſtare ſciens nequeas. promiſeris at ſi
Vel nutu quicquam, plenè id præſtare labora

Iuris

Iuris eris si quando tui, propriumq́; tenebis.
Sic tua vox tibi pluris erit, nutusuè vel vnus,
Quam vani alterius reuocabile iuramentum.

Apherdianus.

Cêu correptulam fugias mendacia, Pubes:
Nil, nisi quod verum sit, tua lingua sonet.
Doctus Aristoteles quod respondisse rogatus
Dicitur, esto memor, vanaq́; verba fuge. (fert
Dixit enim mendax capit hæc sibi præmia, pro-
Vt cum vera etiam, credere nemo velit.
Et quia futilitas res est turpissima longè,
Et mendace nihil viliùs orbis habet:
Indi cum Persis sanxerunt legibus olim,
Talibus vt fandi non foret vllus honor.
Nam qui ter verbis fuerit mendacibus vsus,
Publica nulla regit, perpetuòq́; silet.

Decimator.

Qui cupis ornari diuini fronte fauoris,
Et stygij metuis tartara nigra Ducis:
Sis verax, studio periuri nomina vita,
Non taxent linguam dissona facta tuam.
Nam velutì Dominus veraces ornat honore,
Quorum sermonem consona facta probant:
Sic quoq́; periurum Deus execratur, & odit,
Qui technis alijs damna parare studet.
Ille sibi accersit duro cum pondere pœnam,

Et sua sulphureis imbuere ora vadis.
En deus in talem subitò non fulmina iactat,
Compensat pœnæ sed grauitate moram.
Te regat ergo Dei Cynosura altissima verbi,
Pars tandem superæ qui cupis esse domus.

Dedekindus.

Vir malus est, famam qui per mendaciā quærit,
Gloria laudandis non venit indè viris.

Exhagus.

Ore graui, rectoq; decora & vera loquaris,
Iuratum, quicquid dixeris, esse putes.

Incerti.

Corrumpit mores mendax & perdit honores,

* * *

Hÿpocrisim, fraudem, mendacia, iurgia, litem,
Desere, deuita, despice, pelle, fuga.

* * *

Sis verax opere, sis pectore verus & ore:
Verax laudatur, sed mendax vituperatur.

* * *

Sermo breuis, verusq; tuo discedat ab ore,
Os mendax vites, animum quia priuat honore.

* * *

Omne genus pestis vincit mens dissona verbis.

* * *

Sunt tria quæ verè Salomoni displicuêre:

Os

Os mendax, fatuusq́ senex, pauperq́ superbus.

Meyeus.

Nullius ærumnas, aut infortunia ride. De risu.
Nè quandoq́ pari ludificêre modo.
* * *
Nec nimium risum, nec verba ferocia funde,
Illo non Sapiens, hoc furiosus eris.

Viuianus.

Flamma vt sonore plurimo
Suggesta ahenis spinea
Exultat in cassum, irritos
Crepitus ciens, neq́ latices
Intùs calescunt: futilis
Sic risus auram verberat
Stultorum inanem euanidus.

Lauterbachius.

Mortales produnt, incessus, risus, amictus,
Ingenium motu colloquijsq́ patet.
* * *
Nascitur ore sonans, imo nec corde cachinnus,
Clamori lenitas magna loquacis inest.

Incerti.

Non debet stolido lædi Prudentia risu.
* * *
Hunc quiuis ridet, qui multum vel citò ridet.
* * *
Per risum multum debes cognoscere stultum.

Ducere

Sambucus.

Ducere qui lusu vitam, sociosuè morari,
Atq; solent fœda mergere luxuria:
Perdidit hos dudũ Styga qui ditione gubernat,
Excipient luctus, pœna tremenda, dolor.
Quin longè hoc grauiùs prætor vexabit Auerni,
Pro se, proq; alijs dum geminata ferent.
Ne fidas temerè lætis, ac plausibus: an non
Litera distinguit gaudia iuncta malis?

Herdesianus.

Si quis amat, turpemq; suis fouet ossibus ignem,
Alea si quemquam fœda, merumuè tenet:
Nec citò principijs obstat, vitioq; recenti,
Sed prauæ causas inuenit vsq; moræ:
Nulla salus illi: nulla reuocabitur arte,
Tollitur huic nulla flebile vulnus ope.

Hortensius.

Alea dilapidat Galbæ damnosa fritillo
Noctes atq; dies totum quem possidet assem

Meyerus.

Ludum consilijs ne misce, aut seria ludo:
Res non acta suo tempore nulla placet.

Borbonius.

Filia auaritiæ nutrix est alea furti,

Pes-

Pestis amicitiæ, triste furoris opus.

Sambucus.

Seria ne ludis postponas, commoda damnis,
Quod superest rerum, sic vt egenus, habe.

Apherdianus.

Illiciti lusus fugiantur; & alea fallax
Ne tibi iactetur: nam mala multa parit.
Concitat hæc rixas, pugnam, periuria, cædes,
Hæc grassatores, sacrilegosq́; facit.
Hinc etiam Veteres vetuerunt legibus olìm
Infames fieri, quos iuuat illa: liquet.
Nam nimiùm turpis res est & sordida lusus
Hoc genus, ingenuo nec quoq́; digna viro.
Dæmonis instinctu sibi quod reperêre maligni,
Cum varijs homines in sua damna dolis.
Perpendas animo quid in hoc certamine fiat,
Quam multis noceat dira cupido lucri.
Perditur imprimìs, quo nil preciosiùs, ipsum
Tempus: opes pereunt, hinc venit omne nefas.
Horrendas iactant voces, conuicia miscent,
Ensibus infestis in sua fata ruunt.
Vulnera per Christi iurant, per numina Patris,
Omnes per Diuos, omnia perq́; sacra.
Quiq́; semel barathrum fuerit delapsus in illud,
Haud vllis valeas hunc reuocare modis.
Cum satis hinc constet, quam sit res impia talis

Ludere,

Ludere, tu fugias peiùs & angue velim.

Incerti.

Raro ditatur qui talis ſæpe iocatur.

* * *

Ludens taxillis benè reſpice quid ſit in illis:
Res tua, ſpes tua, ſors tua, mors tua pēdet ab illis

* * *

Ludo falluntur, ludum qui ſæpè ſequuntur.

* * *

Raro doctus erit qui ſemper ludere quærit.

Sambucus,

De Somno. *Muſa vetat Puerum ſuaueis producere ſomnos,*
Ac ſtudio lucis tempora prima capit.
Sufficiat tantum noctu reperiſſe quietis,
Quantum operæ, & ſtudÿs inuigilare ſoles.
Nam veluti pluuÿs nimium ſi perfluat hortus,
Terra negat fructus imbribus acta ſuos:
Sic magìs irriguum ſomno caput atq; decebat
Pieridum ingenio ſemina iacta fluunt.

Dedekindus.

Accidit ex longo neruos torpere ſopore,
Atq; malè officÿ munus obire ſui.

* * *

Pigra quies ſcabiem morboſq; vtētibus adfert,
Vtiliter moto corpore ſanus eris.

Dactius.

Somno lumina nè priùs reclines,

Quim

Quam lapsæ reputaris acta lucis.

Ayala.

A cæna dormire statìm damnatur: ab illa
Consultum est horas euigilare duas.
At postquam dederis placido tua mēbra cubili
Plus horis septem stertere, turpè puta.

Sambucus.

Exercitus curam gerens somno leuis
Est, nec profundè dormiens:
Negotiosus semper & paratior
Ad arma primus prodiens:
Victorias celebres tulit, Macedo vigil,
Laudes, trophæa maxima.
Sopore nunquam passus est se comprimi:
Sed altera globus manu
Detentus, æreum incidebat vasculum,
Quiete mox se colligens.
De Iulio fertur minùs nec Cæsare,
Ad singulas vigili vices.

Incerti.

Longa quies somni vitio nos nutrit in omni.

* * *

Est sanum planè de lecto surgere manè.

* * *

Longa quies somni, vitio fit fomes in omni.

* * *

Sanat.

Sanat, viuificat, ditat quoq; surgere manè.

Somnia nec cures, quia fallunt plurima plures:
Somnia non quære, nam plurima vana fuêre.



TITVLVS VIII.

Diversa quædã moralia præcepta, omni quidem ætati, sed præsertim puerili seruientia.

Rogerius.

Contemplare tuos, Puer, monemus
Vultus in speculo: & venustiore
Sic forma placeas tibi, tui sint
Vt mores animi pares, labora.
Namq; in corpore pulchriore fertur
Virtus gratior, & magis probatur.
Sed si difficilis tibi negauit
Formosam faciem (pili æstimandum)
Natura, ingenua repende morum

Et virtute animi malæ nouercæ
Naturæ vitium, vt vocere numquam
Telluris grauitas, inersq́ue pondus.

Læsius.

Candida secretum mittas in lumina pectus,
Atq́ue ea visceribus clausa teneto tuis.
Sic demum qui sis, quantus, quâ sorte videbis,
Et pede prudentèr te metiêre tuo.

* * *

Omnibus in rebus certam tibi ponere metam
Quo studium referas, consiliumq́ue decet.
Est sinè fine nihil, hunc quisquis negligit amēs,
Incassum vano corda labore terit.

Augurellus.

Parere sanctis legibus compellimur;
Seruare mores, abstinere fraudibus,
Vacare cupiditate, inani gloria.
Iraq́ue, cunctis deniq́ue actionibus
Prodesse multis, & nocere nemini.
Sese tueri, nè labemur, nè vagos
Variosq; cursus incidamus noxios,
Quos nostra nobis semper hic infirmitas
Apportat, aut quos ille nobis ingerit
Humanitatis persequutor impius.

Palingenius.

Quid melius quamse cognoscere? corpore quid (sint

Norunt

Norunt vel Pueri puluis de puluere: verùm (uē.
Difficile est naturā animi cognoscere ad vng-

Burchius.

Iustitiæ fontem, fundamentumq́; requiris,
Et primum illius posse tenere gradum?
Non facias aliјs, quicquid fieri tibi nolis:
Sed metire tuis damna aliena malis,
Vtq́; fugis lædi, fugito sic lædere quenquam,
Nec violes quam vis stare aliundè fidem.

* * *

Nunquam non vitæ mereat quis habere coronā,
Principium testis, sed tibi finis erit.
Vt Pauli cæptus fœdi turpesq́; fuêre.
At finis merita laude decora fuit:
Sic Iudas habuit laudanda exordia, verùm
Supremum clausit meta scelesta diem.

Euangelista.

Lubricus è summo & pronus similisq́; ruinæ
Descensus, celsa casus ab arce grauis.
Tutiùs in paruis poteris consistere rebus,
Nulla quies magnis regibus esse solet.

Incertus.

Quæ tibi non faceres aliјs fecisse caueto,
Vulnera nec facias, quæ nequis ipse pati.

Posthius.

Perdurant moderata: citò immoderata fatiscūt:
Hoc

Hoc Natura parens hoc ratio ipsa docet.

* * *

Perdurant moderata longum in æuum,
At breuè immoderata collabascunt.

* * *

Corporibus vires moderata alimẽta ministrãt,
Atq́ eadem si sint immoderata necant.

* * *

Quicquid agas animo prudenti respice finem,
Ne te præcipitem deuius error agat.
Prona quidem facilisq́ via est, quæ ducit ad Orcum,
Sed labor, ad Superos inde referre pedem.

* * *

Gignere quæ possit veniens incommoda tempus,
Antè procul vigili cernere mente decet.

* * *

Et socijs constans & moribus vtere certis,
Ne mihi nunc albus sis alibiq́ niger.

Borbonius.

Omne quod est nimium iñgratum est, sententia prisca est:
Si nimiũ sumas mellis amaror erit.

Andrelinus.

Diuersis diuersa placent, sua cuiq́ libido,
Sed melior recti est forma sequenda modi.

Morus.

Scilicèt extremis longè medicoria præstant:

Insi-

Infima calcantur, summa repente ruunt.

Erasmus.

Illud, Nate, fuerit pulchriùs,
Æqualitatem amplecti, amicos hæc enim
Glutinat amicis sempèr, vrbes vrbibus,
Sociosq; socijs nectit: etenìm æqualitas
Cum legibus respondet atq; concinit. (um
At quod minùs sit, cũ hoc quod est plùs, præli-
Vsq; habet, & hinc discordiarum exordia.
Siquidem modos cunctorum & æquilibria
Æqualitas mortalibus præscripsit, &
Præfinijt numeros, & atræ noctis, ac
Lucis diurnæ secuit hæc discrimina,
Vt annuum æquis viribus exigant simùl
Orbem, nec altera alteri vnquam inuiderit
Superata, deindè Noxq;, Solq; seruiunt
Mortalibus.

* * *

Temporibus semper cautus seruire memento:
Nec reflare velis aduersus flamina venti.

Campanus.

Non eadem sempèr rerum mensura petenda est,
Robustum sequitur fessa iuuenca bouem.

Camerarius.

Nè nimiùm imprudens teneris impone lacertis,

Et

Et fortem ſternunt pondera iniqua virum.

Heſſus.

Vnum ſempèr agens animus langueſcit, & hæret
In libertatem nata volubilitas.
Namq́ vides ſtudio qui conſenuêre ſub vno,
Ingenij ſenibus penè manere nihil.

* * *

Fortuna retine Sapiens in vtraq́ tenorem,
Conſtantes animi quem retinere ſolent.

Hagius.

Singula conuenient certis benè tempora rebus,
Officium faciat menſq; manuſq; ſuum.

Chytræus.

Abſentum noli dictis arrodere mores
Humanæ ſortis non immemor, ipſe ſubindè
Cum labâre miſer, nō næui aut criminis expers.
Quin ſapere alterius potiùs conſueſce periclo
Quā proprio cautus: qui te ſinè fraude monebit.

* * *

Magnus in hoc mundo ſi vis eſſe atq; videri,
Te priùs eſſe nihil diſcito, magnus eris.

* * *

Fraude ſua capitur fraudū ſcelerumq; magiſter,
Et noxas alijs qui ſerit ipſe metet.

Sambucus.

Eſuriens tantum comedas, ſitienſq; rigabis,

Nè

Ne stomachum læso fortè calore graues.
Composito mensam decores sermone rogatus,
Exornes paucis, seria verba, iocis.
Admittit iuuenile decus probitate loquelam,
Nec tacitus læua suspicione caret.
Nè tamen excedant annos, metamq́; pudoris:
Intrà contineat se Puer, osq́; modum.

* * *

Veste puer nitida, non spurca incedat amictus,
Dedecet ætatem fæda lacerna rudem.
Quippè solet habitus, mentē quoq́; prodere cul-
Arguit ignauos squalida labe toga. (tam,
Vt vestem Iuuenis decorat, decoratur ab illa:
Compta refert gratos, ingeniumq́; probat.
Sed minor annosis patribus sit cura nitoris,
Canicies senium, multaq́; ruga decet.

* * *

Quis culpa caruit? intrà peccatur, & extrà,
Corrige damna prior.

* * *

Non est in cupido semper dicatur vt auri
Diues: & in paucis dat bonus vsus opes.

* * °

Laus est alterius malo cauere,
Sed fraus est aliis dolo nocere.
Fraudes nectere qui solent malignè,
Quærunt commoda sic malis bonorum.

* * *

Proximus esto tibi, vicinum deinde iuuato:

Sic

Sic potes alterna commoditate frui.
Ne cuiuis credas, mores Arnolde vetustos
Cum libris frustrà quærimus orbe leui.

* * *

Alta nimis linque, et donata sorte beatum,
Te dic, quidquè velis esse, fuisse puta.
Quæ nocitura putas, cohibe, nã occasio calua est,
Seroq́ prauisis sæpè fenestra patet.
Per rimã inseruit quando caput anguis hiantẽ,
Quid prohibet caudã quin etiã ille trahat?
Præcipuè à tergo si instes, noceasq́ cauendo,
Et primis addas partibus auxilium.
Occurras subitò: tardè medicina paratur;
Cum paries ardet proximus, vsta ruunt.

* * *

Quæ tua conditio poscit moderare libentèr:
Dumq́ iuuas alios, sit tibi cura tui.

* * *

Hic multis vires, & opes nocuêre superbæ:
Contentum modico & profuit esse statu.

* * *

Percussus ferula Puer,
Et rectè monitus quid facere audeat:
Pænè cuncta metu solet
Obseruare, nec in pristina corruit:
Vt vel crustula si velis,
Vuas per ferulam, sed comitem & dare,
Non fidat metuens minas,
Et præstare putat suauia linquere.

Hos piſcator idem facit
Ictus, dum refugit vulnera cautior.
Exemplo alterius caue,
Neu credas proprijs viribus aut bonis.

* * *

Qui tribui veram ſibi laudem quærit, ineptos
Contemnat plauſus, iudicioq́ regat.
Virtus æternum celebrat, pietaſq; tuetur:
Laus & laudatis eſt placuiſſe viris.

* * *

Spem pretio nunquam tibi pollicearis egenam,
Soluitur in fumum quicquid ineptus agit.

* * *

Rebus pro minimis ſæua pericula
Stultum eſt ſuſcipere, & conſequier decus
Nullum pro dubijs nempè negotijs.

* * *

Nemo ſuis adeo confidat viribus, vt ſe
Non putet à longè vinci poſſe inferiore.
Occulta eſt horum quoq́; nec benè cognita cauſa.

* * *

Inuidia inflatos nè cures, protegit ille
Pignore qui ſummo ſuſtulit omne malum.

* * *

Sempèr eris pauper reditus ſi ſumptibus æques,
Et larga dones munera cuiq́ manu.
Enumera cenſus, ſubduc ratione ſuperſit
An multum, lapſo & menſe quid addideris.
Tempore prouideas, vacua ne ſedè morére:

Mar-

Marsupio restet quantula summa vide.
Nè senium, morbi, duris & rebus egestas
Quandò vrgent, ludat fundus inanis herum,
Nec tamen insideas partis, non crastina verses
Sollicitè: fructus sit mediocris opum.

* * *

Maior sit pietas sanguinis, atq; amor
Fratrum, quam imperij, diuitis & Tagi.
Illis hæc etenim præmia seruiunt,
Et dignus decorant laudibus assеclas.
Virtutes opibus quis neget omnibus
Præstare, & superas inferioribus
Auras esse magis numine, laudeq;
Completas, nisi sit cæcus & impius?
Lycurgus voluit tradere posthumo
Fratris sceptra, sibi debita protinùs.
Sed duxit satiùs subdita legibus
Formanda, imperij quam esse caput sui.

* * *

Aulas dum sequeris nè te peruertat abusus,
Sit tenuisq; licet, sed bona simplicitas.

* * *

Forma tibi præstans, oculi cum sydere certant,
Atq; habitat toto corpore pulchra venus:
Sed vitijs animus, mens vndiq; corpore toto
Atq; sinus pleni, mixta venena latent.
Est manus ad cædem prõpta, ad periuria lingua,
Lumina, frons meretrix, nec pede tutus ades.

Ergò Puer multum soli nè fide colori:
Nî probat hunc virtus, qui mihi pulcher eris?

* * *

Amor venustis imminet,
Venustiores separat,
Secutus haud semper capit.
Ciens cietur mutuò,
Moratur & spe subdola.
Amaror hoc suauior,
Et nullus est amarior.
Habens habetur lubricus,
Quantùm addit aufert flammulæ,
Cor alterat sæpè & die.
Vt follis est in flamine,
Non dat priùs nî acceperit.
Mora est Amor solubilis,
In spe timorem copulans,
In gaudia fallacibus
Ludens, inanes ebrians,
Plenos leui vacuans modo,
Vigens calore frigidus,
Præter nihil dans spem, & metum.
Nudum caue puellulum,
Nam vulnerat sæuissimè,
Sed curat haud tutissimè.
Mellitus & subblandulus
Subegit omnes Cælites.
I, post tribuas Cupidini

In-

Incertior certiſsima
Dolore qui torquet graui,
Grauem tamen nec ſenſeris
Virtutis aſt Amor ſibi
Conſtat, nec aufert præmia
Ornans ſuos laboribus,
Memoriam nec immemor
Fraudans, beatis aggregat.
Sollicitet hic nos poſteà,
Sequamur, & ſequentibus
Annis ſecuturum decus.

* * *

Virtus, non cultus nimium ſpectandus, adornat
Fœmineum ſexum plùs pudor illecebris.
Non opibus quantum valeat, formauè rogato,
Quã redamas: quãtum ſed ſit honeſta magìs.
Haùd veſtes animũ decorant, nõ ſplendor inanis
Duc quæ ſit potiùs moribus apta tuis.

* * *

Laudem tulit non qui incipit, aut mouet
Inſigne opus, nam quilibet id poteſt:
Finem ſed imponit ſupremum,
Hic meritos referet triumphos.

Lauterbachius.

Cuncta frequens vſus ſuperat præcepta magiſ-
Ars imbellis, vbì crebrior vſus abeſt. (tri:

* * *

Indolis effigies cognoſcitur indice vultu,

Fron-

Fronte rubor natus ſigna pudoris habet.

* * *

Ornamenta piæ virtus & forma Iuuentæ,
Theſaurus, Pietas, omnis in orbe boni.

* * *

Numen adeſt votis, vrget cum quiſq; laborem,
Ignauæ ſordent abſq; labore preces.

* * *

Pactio virtuti vera cum laude perennis,
Virtuti eximiæ laus pretioſa comes.

* *

Ars auri, vitæ præſtans alimenta, fodina eſt:
Ars victu nuſquam docta carere ſinit.

* * *

Extremum iunctus conuiuis elige ſedem,
Ingenuis cultos moribus ornat honor.

* * *

Terreno viuit languens nutrimine corpus,
A verbo viuit mens recreata Dei.

* * *

Condimenta cibi cenſura, laborq;, fameſq;,
In pleno ſuauis nauſea mente cibus.

* * *

Longa viros animo corrumpunt otia fortes,
Deſidia eſt annis perditionis apex.

* * *

Gluto animā perdit, ſēſus, bona, corpus, honores,
Igne metalla, mero corda proterua patent.

* * *

Diues vt euadas pius eſto, fungere iuſſu,

Res

Res leuis, vt viles tollat honore, Deo.

* * *

In manibus Nemeſis Dea frænũ ſeruat, & vlnã:
Vt dicti, & facti cor ſit vbiq; memor.

* * *

Nobilis eſt propria non ex virtute parentum,
Propria facta probant non aliena virum.

* * *

Amplectenda ſuo veniens Occaſio crine,
Non contempta ſemel ſors fugitiua redit.

* * *

Otia dant morbos, vitiorum & ſemina pigris,
Legitimus firmat corpore membra labor.

* * *

Eſt odium Sathanas, odio malus omnia perdit,
Mancipium Sathanæ cor quod amore vacat.

* * *

Deſidiam ſcelerum labes, & prodit egeſtas,
Puluinar Sathanæ deſidioſus homo.

* * *

Rixa metu primo tenuis, mox ſurgit in auras,
Parua cremat totum mota fauilla nemus.

* * *

Suſpicio ſentit de cunctis corde ſiniſtro,
Mens dat amicitiæ ſuſpicioſa luem.

* * *

Sors rapit è pænis multos, nullumq; timore:
Mens nuſquam praui conſcia, tuta manet.

* * *

Communis ſanat vitæ reticentia lites;

Qui reticere nequit, viuere nescit homo.

* * *

Omne malum placidè passìm commune ferẽdũ,
Communis releuat pectore mæror onus.

* * *

Merx non maiori quam par vendenda valore,
Egreditur metas Iuris iniquus homo.

* * *

Falce metit parcè, parcè qui seminat agros,
In dandis hilares nos decet esse bonis.

* * *

Coniungit prudens, dissoluit corda susurro,
Gratia amicitias glutinat, ira fugat.

* * *

Auolat, vt volucris, sic falsa calumniatr insit,
Mendacis famæ vox, niuis instar abit.

* * *

Quæ fucata, breui contingunt tempore finem,
Perpetuo terris recta vigore manent.

* * *

Non adhibenda fides blandi sermonibus hostis,
Odit iners flammas vstus ab igne Puer.

* * *

Perfidiâ atq; dolo fluxa est quæsita potestas,
Iniustè paruo tempore parta cadunt.

* * *

Esse pium atq; suo contentum viuere, lucrum:
Frugalis multum vita salutis habet.

* * *

Desidiæ germana soror profusio rerum,

Cogi-

Cogitur omne vorans deses egere nepos.
Vrticæ replent, & spinæ desidis agrum,
Cultus vbi cessat, far dare cessat ager.

* * *

Tres hominũ orbe gradus, Sapiẽs, docilis, fatuusq;
Pessimus est qui nil scit, neq; nosse cupit. (quẽ:

* * *

Dũ malus est, speciẽ probitatis Hypocrita fingit,
Mens duplex homines decipit, atq; Deum.

* * *

Plusquam diuitiæ delectat fama labores,
Perpetuus famæ gloria mentis honos.

* * *

Deseritur studijs pendens hominumq; fauore,
Vana salus hominum, non peritura Dei.

* * *

Præstanti è vino, præstans generatur acetum,
Mutato surgit dirus amore furor.

* * * (bus,

Neu magis orbe frequẽs ingrati crimine mor-
Pro meritis odium præmia mundus habet.

* * *

Conceptam Phœbus suprà non occidat iram;
Admissi vires dat mora longa mali.

* * *

Re præstare nihil, leuitas promittere multa,
Indignum verbis ludere quoq; viro.

* * *

Dissimulat Sapiens, stultus mala passa reuelat,
Offensas magnum dissimulare decus.

Dede-

* * *

Dedecus in linguam cum mutat garrulus aures.
Audire eſt Iuuenum, dicere grata ſenum.

* * *

Qui multũ loquitur, multũ mentitur aberrãs,
Infandum poſito lingua pudore malum.

* * *

Vincere magna alios virtus, ſe vincere maior,
Affectus ſuperans dignus honore ſuos.

* * *

Dirigit affectus moderatio ſobria mentis,
Non tranſit metas ſobrietatis Amor.

* * *

Dicitur hoc verum, quod cum re conuenit ipſa:
In verbis alacri mente colenda fides.

* * *

Poſt deſiderium ſatias, poſt gaudia fletus,
Triſtitiæ mundi læticiaq́ vices.

* * *

Vitæ exempla docent atq́ experientia mores,
Quod non addidicit nemo docere poteſt.

Dorpius.

Manè ſopore ſatur, mox abluis ora, manuſq́
Fonticulo, cur non mens quoq; tota nitet?

Meyerus.

Cunctis ſi vitijs dominari quæris, omitte
Res hominum vanas & populare forum.

* * *

Nè contemne tuam vitam, nec suscipe quicquā
Lege sinè imprudens, nè sinè lege cadas.

* * *

Vis arcere graues pœnas? conuitia nulli
Dixeris: hoc propter Numinis ira furit.

* * *

Perpetuò vitæ cursu vis hoste carere?
Inuidiæ nullum subijce tutus eris.

* * *

Quære voluptates adiuncta laude: voluptas
Hæc sinè res omni est peste cauenda magis.

* * *

In mærore tibi est Animus tener, aspice cladem
Maiorem alterius, tu quoq; natus homo es.

* * *

Dona probis confer: per quam thesaurus honestus
Munera sunt, recto quæ data cuncta viro.
Sin largire malis; alieno, sic facis, vt si
Qui te dante petit des alimenta cani.

* * *

Si tibi quid charis pudor est exponere amicis,
Rem finge alterius, quandò refertur, agi:
Sic simūl illorum quæ sit sententia, disces,
Nec reteges animum fronte rubente tuum.

* * *

Æquus homo si non alia re præstat, iniquo,
Præditus est summi spe meliore boni.

* * *

Ingenio polles? hoc intèr cætera primum
Excole: nil Domino squalidus edit ager.

Sin-

Hagius.

Singula conuenient certis benè tempora rebus,
Officium faciet, mensq́ue manusq́ue suum.

Viuianus.

Tu nè quid ore concipe,
Vel corde præceps: sed priùs
Tecum peractum, Numine
Coram potenti, sobrius
Effare paucis, ac tuæ
Esto vsq́ue sortis conscius
Terræ iacentis incola,
Deumq́ue sublimem ætheris
Tenere vasti regiam,
Despicere & infima omnia.

* * *

Insigne munimen, viam
Quicunq́ue mediam cautior
Sectatur, humanas vices
Sibi subijcit, Dum sobrius
Diuina degustat, Dei
Timore præuio hinc & hinc
Extrema vitans noxia.

* * *

Verba Sapientum profluunt
Mellita ab ore: at futilis
Garritus insanum arguit,

Stulte

Stultè ordientem, vt exitu
Inaniore desinat.

* * *

Effunde abundè quod tua
Offert facultas, & manus
Pateat adhùc: ac præripe
Occasiones, dum licet,
Benèfaciendi. Nam mala
Non cuncta nosti, quæ pede
Properante terras permeant.

Duetus.

Scilicet exacti dulce est meminisse laboris,
Otia cum vacuo pectore tutus agas.

Visdominus.

Fac meminisse velis, quod cõprobat exitus acta,
Principium quid enim? nil sinè fine bono.

Schellenbergius.

Quod tibi vis tribui, non tutè negaueris vlli,
Et referenda pari sunt benefacta vice.
Quemq; tibi exoptas, alios digneris honore,
Quæq; cupis, prompta des quoq; dona manu.

Fungerus.

Sis pius in charos, qui te genuêre, parentes.
Vt sani fiant exerce corporis artus,

Non vt Pancratico, aut Alcidis robore præstent.
Nè fueris caueas petulanti splene, cachinno;
Namq; modo tali se excors Dementia prodit.
Turpia quæ dictu sunt, hæc quoq; turpia factu
Esse puta, nunquam nō sis probus atq; modestus.
Clam fore non spera si quid commiseris vsquā:
Nam licet hoc alios cæles mordendo labella,
Nocte dieq; tamen viues tibi conscius ipse.
Fac pietate colas terræ, cæliq; Monarcham;
Et legi pareto, tuos reuerere sodales.
Quære voluptates celeri quas gloria passu
Insequitur, linguasq; caue tibi falsa loquentes.
Quicquid agis, tu aliquādò palā fore credito
Nā licet ad tēpus lateat; tamē ōnia tādē (cūctis:
Proh! nimiū fugitans in apricū proferet ætas.
Si facias quæcunq; iubes, hoc cedet honori.
Si fueris cupidus discendi, plurima disces.
Quæ scis conserua, quæ non scis, cognitione
Accumules, nullamq; diem permittito labi
Qua non plura tibi studeas sudore parare.
Otia si fuerint vitæ, consumito rebus
Discendis, alij quas magno parta labore.
Declamant, grandiq; strepunt per tecta boatu.
Nèc pigeat longos terræ percurrere tractus,
Vtilia vt discas, postquam mercator ad Indos
Per mare, per montes abeat, perq; ardua saxa,
Vt queat ingentes auri corradere aceruos.
Moribus esto comis, verbis vrbanus in omnes.

Fac

Fac etiam affectus animi, lucrumq́, dolorem,
Atq́, iræ motus recta ratione refrænes.
Cuius compos eris, si non, quibus aurea Gaza,
Sed quibus insignis succrescit gloria, quæras:
Tum quoq́, si talis fueris in crimine fratris,
Esse alios quales, si tu peccaueris optas:
Aut si te faciant aliena pericula fortem.
Credita verba magis serua quam pondera Tagi.
Iungito amicitiæ cum nemine fœdera, certum
Nî sit, quæ fuerit ratione prioribus vsus, (cis.
Cũ quibus est solitus multum consuescere, ami-
Hos etiam nullo meliùs tu tempore noris,
Quam si te rebus fortuna inimica secundis
Deserat, atq́, fores quatiat feralis egestas.
Namq́, vt resplendẽs spectatur in ignibus aurũ,
Tempore sic duro apparet fiducia constans.
Rebus in aduersis tangunt quoscunq; dolores,
Et pariter nullo morsu liuoris aguntur,
Hos fac semper ames, illos amplectere solos.
Præsto erit ornatus non magnificentia vesti:
Nam quid mollities prodest, luxusq; redundans
Non vlli exprobres lapsæ infortuniæ vitæ,
Namq; occulta videt nemo, sortemq; futuram.
Non secus atq; impostor erunt fugienda venena
Palponis, simili quia pectore lædit vterq;.
Illita melle fidem si verba dolosa merentur:
Non animo elato sis, at comis omnibus æquê
Vix etenim Domini tolerant fastidia serui.

Offi-

Officium comitatis erit non fundere rixas,
Non, rabido irarum cum mens exæstuat æstro,
Tum commoto animo crudeli occurrere cornu.
Vitabis Lapithas turpes, Bachiq́ue liquorem: (sit,
Mens etenim temeto plena, & corrupta labas-
Non alitèr, quam cùm currunt per deuia bigæ
Excusso auriga & ruptis violentèr habenis.
Quorumcumq́ue voles dici sincerus amicus,
Hos fac commendes semper præsentibus illis,
Inde relaturos quos mox tua verba putabis.
Si tibi iudicium forsàn res ardua defert,
Tunc te præteritum tempus ventura docebit.
Fac etiam Regum mores imiteris, eorum
Addictus viuas studijs, namq́ue indè vigebis
Gloria apud vulgus, regũ quoq́ue factus amicus.
Cumq́ue magistratùm fueris suffragia adeptus,
Non latro vel fur obeunda negotia curet,
Aut alius ganeo. quod enim cõmiserit ille, (tam.
Vergit in opprobrium &, famam lacerabit hons-
Improba patronus factus neq́ue facta tuere,
Talis enim, quales defendis, habebere sempèr.
Sis alijs maior licet atq́ue potentior, vno
Vtere iure tamèn, iusti studiosus & æqui
Sic quoniam populo notisq́ue videbere cunctis.
Fraude doloq́ue opibus partis præpollet egestas.
Dummodò iustitiam comitem sit nacta fidelem.
Magnoperè ingenij culturæ deditus esto,
Maxima res etenìm bona mens in corpore sano.
Vndi-

Vndiq́; si populi te circumstante corona
Oraturus eris, animo fac antè reponas,
Nè lingua effrænis confusa pudore loquatur.
Rebus in humanis firmum nihil esse putato,
Sic nec cum velis tua flauerit aura secundis,
Gaudebis nimium, neq́; cum Rhamnusia partem
Posticam obuertit, prostrata mente iacebis.
Nitere summoperè vt tutò tibi viuere possis:
At si Mars instet, si mille pericula lethi,
Arripe laude fugam, sitq́; ardua gloria cordi.
Hæc sunt Isocratis præcepta potissima nostri,
Quæ precor vt copulent sociali fœdere mentes,
Donèc in extremo versetur cardine Mundus.

Apherdianus.

Qui bonus esse cupit, sibi persuadere memento,
Primò quod malus est, nec probitatis amans:
In meliùs siquidem translatæ mentis habetur
Indicium, sua si crimina tecta videt.
Tum demum curat vitijs obsistere, prauos
Corrigit affectus, & pius esse studet.

Schegkius.

Vna cui lingua est, animi sententia duplex,
Fictus amor lædit quolibet hoste magis.

* * *

Paupertatē humilem nulli exprobare memēto,
Nam malè nummatum spernere turpe virū.

* * *

Febribus & ſenio magis eſt crudelis egeſtas
Frugi homini, vexat quem mala Pauperies.
Per mare pauperiem fugias, per ſaxa, per ignes,
Eſt ſemper variјs hæc fugienda modis.
Paupertas animũ & linguam ceù compede ſtringit,
Nullaq́ ſunt dicta aut libera facta inopis.
Aſsiduò & terræ & pelagi fugienda laborē eſt,
Atq́ inopi mors eſt ipſa petenda magìs.

* * *

Feſtinare caue nimium, mediocria tantum
Sunt bona, virtutē eſt difficilem indè ſequi.

* * *

Qualia Dî dederint ſunt æqua mente ferenda
Munera, quæ variјs diſtribuêre modis.

* * *

Virtutes adama, ſis Seruantiſsimus æqui,
Ne cupias lucrum, turpia facta ſequens.

* * *

In graue diſcrimen multos ſpes laudis adegit,
Quum non conſilio gloria parta foret.

* * *

Iræ præcipiti mens quæ permiſit habenas,
Caſibus innumeris obiјcit illa caput.

* * *

Luxurians perdit vecordes copia multos:
Haud facilè eſt lætis rebus habere modum.

Seu

Seu cumules quid, seu minuas cũ fraude, Deorũ
Pœnam non fugies, sis licet vsq; catus.

Apherdianus.

Audi Puer salubria
Documenta, quæ paucis dabo.
Tua quod interest nihil,
Nè scire cura sit tibi.
Captante, si quid conferant
Alij, caue nè sublegas
Hic aure: quæq; factitant,
Nunquam malignioribus
Oculis notes: nè cætibus
Te nisi vocère misceas.
Inspicere noli epistolam,
Oblata quæ non est tibi.
Præsente si te scrinium,
Aperit quis, aut abacum suum,
Memento te subducere.
Nec tolle quod non est tuum.
Verbis benignis vtere,
Et commodis sis moribus,
Facilisq;, non morosulus.
Non pertinax nimis, & loquax.
Absentibus non detrahas
Famam: caue mentirier.
Obscœna nunquam proferas

Verba, absit execratio.
Ob rem leuem haud iuraueris.
Vrbanus esto: non tamen
Dicacitatem & scommata
Amara ames, & sal nigrum.
Nusquam seras discordiam,
Lædasq́; dictis neminem.
Omnes saluta comitèr.
Maioribus locum dato.
Fieri tibi quod non velis,
Facere aliJs tibi sit nefas;
Et vltionem non ames.
Nullius infortunium
Rideto, non iactes tua.
Submissè agas. communibus
Accommoda te moribus,
Et seriJs simul & iocis.
Polypus quibuslibet vt locis
Sese applicat, sed quatenùs
Ratio hoc honesti siuerit.
Porrò tibi concredita
Secreta fac custodias.
Effutias temerè nihil.
Spermologus, atq́; autor noui
Rumoris haud fias. bonus
Studeas potiùs euadere,
Quam cæteros reprendere.
Bacchum caue cum Cypria.

Et viuito frugalitèr.
Animo hæc puer ſedeant tuo
Dogmata. Deumq́ antè omnia
Colere & timere diſcito.
Sic omnibus futurus es
Pergratus, & amabilis.

Morualenſis.

Stat ſimulatio,
Diſsimulatio,
Crimen vtrumq́:
Alea, crapula,
Fraus, facinus, gula,
Flagitiumq́.
Ora bilinguia,
Lis, homicidia,
Mars, tuba, terror:
Vis, probra, iurgia.
Quid moror? omnia
Quæ docet error.
Talia germina,
Scilicet agmina
Sunt vitiorum:
Germina talia,
Sunt capitalia
Vulnera morum.

Opti-

Incerti.

Optima res modus est quia sēp ad ōnia prodest.

* * *

Interpone tuis interdum gaudia curis.

* * *

Per pulchros mores pulchri quæruntur honores.

* * *

Moribus ornatus est patri gloria natus,
Sed Pater est mæstus, cum filius est inhonestus.

* * *

Te modicum iacta, quoniam probat exitus acta.

* * *

Totum laudatur, si finis laude beatur.

* * *

Omnia prudentèr fac, finem cerne frequentèr,
Prospice ventura, sic est prudens tua cura.

* * *

Rem præcedentem videas, & cerne sequentem:
Prospice ventura, sic est prudens tua cura.



TITVLVS IX

Parænesis, De officio veri discipuli, & de Parentum indulgentiâ.

Incertus.

Qui cupit optatam studij contingere metam,
Multa Puer faciat, multa necessè ferat.
Nunc æstu sudet, nunc algeat, abstineatque
Luxuria potus, luxuriaque cibi:
Pinguis enim venter subitem gignere sensum,
Obrutā mens vino discere honesta nequit.
Delicias terræ fugiat, nimiumque soporem,
Antè diem cubitu surgat, ametque libros.
Imprimìs Superos tota vi mentis adoret:
A cultu studium dirigat omne Dei.
Virginitatis amās, procul omnia turpia vitet:
Pierides castæ, casta Minerua fuit.
Pythagoras Venerem studioso pectore fugit,
Et Plato, quem fingunt virgine Matre satum.
Democritus fuluo cæcum se reddidit ære,

Nè

Nè sua fæmineus corda subiret Amor.
Tessera vitetur, lusoria chartula, præceps
Alea, quæ multis sunt comitata malis:
Hinc surgunt rixæ, fraudes, periuria, cædes,
Furta, latrocinij, militiæq; furor.
Infamis sempèr miserum subit alea finem,
Iusticiæ cultor nunquam aliena petit.
A Christo sanctè dulces venerare parentes
Hoc lex, hoc pietas, hoc Deus ipse iubet.
Carnifici iugulum sæpè est præbere coactus,
Qui patris spreuit iussa seuera sui.
A teneris annis sunt pulchra petenda, fauorq;
Maiorum atq; senum conciliandus erit.
Effuge luxuriæ seruos, prauosq; sodales,
Molliciem vitæ, desidiamq; fuge.
Desidiæ pulchram nequeunt attollere famam
Prouenit ex studijs, atq; labore decus.
Parce tuis nummis, quos donauêre Parentes,
Ad frugem vt possis indè venire bonam.
Non intèr madidas tutũ est habitare propinas,
Sordida non inter ganea surgit honos.
Nè mentem alliciant meretricia verba caueto,
Fæmina sub dulci pectore virus habet.
Tantisper ridet dum munera sperat amantis,
Argento loculos, marsupiumq; leuat.
Potores fugito, nam consuetudo malorum
Inficit ingenium, nec sinit esse probum.
Vt puer euadas sanctus conuiuito sanctis,

Tacta ſolet niueas pix maculare manus.
Tangere te vetuit nigris animalia caudis,
Et Samius vulgi carpere doctor iter.
Fac benè moratos habeas, taleſq́; ſodales.
Qui pectus poterunt arte polire tuum.
Cumq́; his euoluas libros, linguaq́; latina
Vtaris iugi ſedulitate probus.
Ars vſu creſcit, ſed deſſuetudine ſenſim
Deperit, & ſenſu labitur vſq́; tuo.
Hinc Patres, animi colat obſeruetq́; magiſtros
Diſcipulus, nec eos diligat arte minùs.
Hæc pietas ſtudijs confert, amor optimus artis
Traditur, & ſtimulis pectora pungit Amor.
Doctrinæ cupidus docilem ſe præbeat ipſe:
Præcepta attentis auribus accipiat.
Pareat vſq́; libens, emendatuſq; magiſtro
Non iraſcatur, ſed meliora velit.
Qui præceptorem minimo vel lædere verbo
Audet, Doctrinam deſpicit ille bonam.
Quiſquis doctrinam ſpernit, nil ſcire meretur
Ingenium, Sophiam mens pia ſola capit.

Iunius.

Quo pede corruptos populi concerpere mores De parentum Indulgētiæ.
Tentaro, multum mentis anceps differor.
Non placet irrati Saturnia lima Metelli:
Cæoq; carmen linquo vati flebile.
Æolios ſeruet numeros ſibi Leſbia Sappho:

Mol-

Molles soluta amet pedes Ionia.
Nec benè conueniunt Pario lita spicula felle,
Quibusq; pugnat acer hostem in Bupalon
Hipponax. Iræ, lachrymæ, lasciua facessat
Hinc pagina, atq; virulenta oratio.
Grata placet magè temperies, cauteria mentes
Radunt, & aures delicatas sauciant.
Matura idcircò Heroï grauitate sategi
Condire Iambos criminosos carminis.
Vt maculam nitidis crimen quod inurere rebus
Solet nigrantem, quodq; liberos modis
Mollibus exercens, sanctas exterminat artes,
Moresq; sanctos lege miscellanea
Carminis expositum castigem lance sub æqua,
Censoris induens simùl tetrici grauem
Personam, atq; animos simul oblectare Poëta
Studens. Adesto, & Diua conatum iuua. (dra,
Tartareũ est monstrum, rediuiua inmaniùs hy-
Cæco furore, & nocte lethæa satum:
Virgineos præfert vultus, vitiata sed intùs
Irâ Deum mens Simiæ ingenium exprimit.
Non dispar Sphingi Aoniæ frons ardua surgit:
Bilingue, nunc mel ore, nunc fel funditat.
Mollis olorinis vestitur dextera plumis:
Pandæ tot aures, tot sequacia emicant
Lumina, quot custos fertur Memphitidos Iûs
Habuisse: liberum gregem secum trahit
Effrenum, nitidos mulcens, pulmentaq; buccis
Infar-

Infarciens: quam nomine Indulgentiam
Indigitāt veteres. hæc nunc caput exerit Orco,
Et Myrteam ambiens, tÿrannidem nouam
Vsurpat, natos hæc molliter educat, vnctam
Luxu profuso vincere Sybarin docet.
Delitijsq; rudes dissoluit & efferat annos:
Nidore pellacis popinæ fumido
Acreis exatiat nares, fingitq; palata
Intelligentibus cocum intra septimam
Messem: mox picta & Tyrio saturata veneno,
Tectura corpus molle, tegmina apparat.
Hæc prætextatis verbis, dignisq; suburra,
Infantis imbuit tenellum os, qualia
Nesistrata quidem Pellæi turba Canopi
Effuciat, prono cachinno hæc excipit:
Indulget somno in lucem torpere supino:
Curaq; molli fingit artus iunceos.
Simius excelsæ turpissimus incola Abylæ
Fœtus suos recenti iam partu editos
Dicitur obstipo defixus lumine, tanquam
Simulachra quæpiam obtueri intentiùs:
Nempe stupens rara eximiæ miracula formæ,
Nec segniùs miratur hæc fœtum suum.
Hæc eadem, incessus fractos, gestusq; loquaces,
Milesiosq; nulla motus dedocet.
Crimen inesse putat, nimiùm parere magistro:
Pudore proiecto docet sanì nihil.
Hesperio æstiuum Sol merserit igneus amne

Diem antè, quam propudia cuncta perferã.
Iam si fortè manum ferulæ suadentibus annis
Submiserit (si Dijs placet) mollis puer,
Et fortè imperium, torpens ignauia, virgæ,
Necessitasq́ verberis ius postulet:
Maternasq́ leuis rumor manarit ad aures,
Quanto Adria tumente plùs exæstuat?
Æacidæ tonat illa minas, iam territat ipsum
Iouem supremum, ac deuouet diris caput
Plagosum Orbilij: studijs mox alitis albæ
Gnatum abdicat, meliore victurum otio.
Sic ferulæ vltrices, sceptra imperiosa, minisq́,
Dicta grauida, & lentæ exulant virgæ procul.
Nomina commissis illustria prætextuntur,
Purgationumq́ agmen ingens cuditur.
Quæ speciosa quidem certæ velamina culpæ
Obtendit, vt nè pusio causa cadat.
Degener insidijs, hic indulgentia fallit,
Lues acerba, & Ingenî pestis grauis.
Illecebris cuius fallacibus ebria magna
Mortalium vis, bellulis parcit suis:
Quæ dum conniuet vitijs puerilibus, eheù!
Infanda quæ non damna, quod dedit nefas?
Atroces peperit turbas, rixasq́ calentes
Nempè inuehunt, plus noxiæ Indulgentiâ
Incautæ matres, quam vel Cadmæis Agaue
Nato perempto: quam scelesta funere
Quæ mersit Colchis charissima pignora acerbo:

Torrisuè fato quæ ferocem absumpserat
Oeniden genitrix, crudelia nomina matrum.
Hæ singulos, at iste grex totas rapit
Turmas, pestifero venis subeunte veneno,
Dum proxima inuoluit mali contagium,
Non secùs exiguo carpit satus ignis ab auctu
Syluas comantes, & coloni spem grauem.
Hîc equidẽ nostri sortem reor Automedontis
Nimis pudendam ac despicatam, qui manu
Contrectat ludi infelix moderator habenas.
Æstu Euripæo vulgus incertum magis,
Præceps se studio nunc hùc nunc diuidit illùc
Leui, nec ipsi sat Ioui æquum maximo.
Sis facilis licet, aut quam Mitio lenior: ora
Permessidos rigarit alma gurgite
Musa sacro: ĩbuerit quãquã Charis aurea pectus
Humanitatis artibus: vilì tamen
Vix dignus concha, Mysosq́ inglorius infrà
Sordebis omnes, nî popello obtrudere
Palpum indulgendo noris, cirrataq́ blandus
Dictis inesces agmina, & conniueas
Ad vitia, ac segni cedas marcere veterno:
Haud otio pugnans Vacunæ torpido.
Nî qua pinguescunt glires satiare sagina
Illos sinas vecorde. Quisquis obsequi
Hac in parte, auram & popularẽ carpere quibit,
Hic bracteatus scilicet merebitur
Ex auro Pisæa inter monumenta locari:

Calẽ

Cæli hunc Catonem tertium dederit fauor.
Nè tamen hæc animum coquat ægrũ sollicitudo
Quemcunq; dura exercet hæc prouincia,
Pectore at infracto, velutì Marpessia spernit
Neptunias vasti silex minas maris:
Securus contemne rudis labiosa popelli,
Rodentis alienam vsq; vitam, murmura.
Nec benè de ingrata quicquam te plebe mereri
Posse arbitrare, maceres corpus licet
Peruigil, Hesperij quantum non excubet anguis
Horti arbiter: sudore diffluant genæ
Perpete: deuotum feriat licet igneus astro
Caput furente Sirius, non te niues
Riphææ includant laribus: Boreæq; furentis
Nimbosa temnas flamina, & canum gelu:
Nil facis, officij plebs finibus æstimat ista:
Hæc summa: cortinam intonare Delphicam
Ista putes: vulgo nihil est fecisse benignè
Credas quod vsquam posse te, ni protenùs
(Quod dixi atq; iterans repeto) indulgere licē- (tèr
Turbæ capillatæ velis, & turpitèr.
At postliminij veteri nunc Iure reuertor
Ad nota sermonis redux compendia.
Thessala deducens innoxia sidera rhombo,
Manes sepultos dum inquietat carmine,
Luctatur laruis, & se placita ipsa fatigat
Insania: sed perperam natorum amans
Indulgensq; vrbes corrumpit femina totas:
Noci-

Nociua maximè, quibus reuerentia
Vnica debetur, pueris: nil officit annis
Crescentibus, domestico exemplo magìs.
Talibus imbuitur vitijs plerunq́; tenella
Pubes, parentes qualium autoret habet,
Et quibus à teneris assueuerit vnguibus, altè
Tyrocinio in ætatis hausta se induunt. (hæc
Sic quem lana rudis fucum semel imbibit, altè
Hæret, nec elui potest: & fictilis
Vsq; sapit primos quos hauserit olula succos:
Fereq́; pertinaciùs praua insident.
Fœdaq́; si mollem capitis deposcit honorem
Vulpes profunda, pharmacis non cesserit.
Inueterata oculos quæ lema obsederit, ipse
Vix huic ferat Pæon salutarem manum.
At nascens facili vitium molimine pellas,
Nondum profundis reptitans cuniculis.
In naturā abit, atq; habitum firmum induit,
Quicquid inoleuit, prorsùs indelebile. (vsu
Lustralem idcircò & puram tibi cura parenti
Esto, imbibat puer saliuam vt flexilis:
Talia adhuc rudibus pangātur semina in aruis,
Queis nec freti ira, nec trisulca fulmina,
Nec grauis vredo officiant: assuescat habenis
Arctis: malignos ferre discat Sirij
Ardores: sæuumq́ gelu: tua castra Thyoneu
Infesta vitet, illices fugiat dapes.
Interdùm haud pudeat te conditrice ciborum

Hunc

Hunc frangere fame. Sancta nempè enititur
Excelsam in rupē per dura, per aspera Virtus:
Huic æmulam pro viribus carpat viam.
Dicta animum volucrē moueant Iessæia (nūquā
Prudentiorem hoc vlla Regem ætas dedit)
Nō semel ille monet ferulis cōscindere dextras,
Scuticisq; carnulenta natium tubera.
Sic animam Stygio addictam subducitur Orco:
Hinc crescere almum disserit patri decus.
Exercere piger concessæ verbera virgæ
Qui parcit, angue peiùs odit liberos;
Flectenda est ceruix, dum nondū induruit ætas;
Præsens minatur hîc periculum mora.
Lernææ citiùs capita expugnaueris Hydræ,
Quam contumacis ingenî cadat rigor.
Quæ se firmauit nodis, & robore crudo
Perdifficultèr planta curuari potest:
Cui vitium furca quanquam emendare bicorni
Pares, redibit pristinum mox ad statum.
At lentum partes est ductile vimen in omnes,
Mollisq; cunctas cera formas accipit.
Indomitus primis annis qui dura lupata
Spumante rictu cornipes non triuerit,
Despuit obsequium nunc intractabilis, omne:
Tergoq; sessorum excutit sternax suum.
Duram ita ceruicem sumit, Luxuq; solutus
Exlexq; natus peruicaciam induit.
Nimirum dum Palladium malesana liquorem

Gens

Gens fomitem flammæ voraci subijcit.
Rusticus exanimem miseratus sub Ioue crudo
Tollit, rigentem viperam fouet sinu:
Quo fotu, vitæ rediuiua recurrit in artus
Scintilla, & armat in suum nutricium
Letales dentes, morsu quem conficit atro:
Sic matribus vicem reponit improba
Natorum soboles: sic Indulgentia fraudi
Iis cedit, atq́; regerit illarum in caput
Exitij fontes, etenim grauioribus Ætna
Has proteri curis videmus, tempora
Ante diem niuea haud vltrò canescere pluma,
Mittiq́; properè sub Styga illætabilem. (rum
Nēpe (memor caueas) Nemesis trahit arbitra re-
Seuera, Pœnas vindices longo agmine.
Diua potens, tumidis infecta, asperrima duris:
Offendere hanc caueto, vel time asseclam.
Hæc Dea carnipetas vt pensilis aëre coruos
Malè nata turba filij pascant, facit:
Compagem membris soluit: sæuo vstulat igni:
Distendit eculeo: terebrat lumina:
Fulmineo caput ense rotat: diro insuit vtri:
Proscriptiones, carceres, ergastula
Intentat: mille exquirit tormenta, manere
Quæ digna constat negligentes præmia.
Ipse Helius vates, cui vinxerat infula sacra
Comas, ob indulgentiorem in liberos
Mollitiem, quorum commissa piacula nullus

Culparat, in ſe vindicem acciuit Dei
Exitio præceps, iram: retròq́; relatus
Ceruice fracta, ſub profunda it Tartara. (trò
Proindè parens quiſquis ſoboli benè cõſulis, vl-
Prudens ſequare Phædriæ factum cati.
Mollitiem ex animo fac pellas funditùs omnẽ,
Vbi te tibi indulgentiorem ſenſeris.
Fixa tuæ ſedeat menti Ioue digna ſupremo
Sententia: educatio quod mollior
Corporis atq́; animi neruos vireſq́; reſoluit,
Et frangit exceiſos domando ſpiritus.
Inclyta ſed macula hac nè te Vrbs patiaris inuri,
Quam Lemus acer condidiſſe dicitur,
Quæ Peluſiacos portus iam tum auſa ſubire
(Nî deroganda ſit fides Annalibus)
Ferrea ferrata rumpis retinacula claſſe:
Hinc clara latè & nobilis ſuper æthera.
Extimulet te adeò geſtarum gloria rerum,
Mentiq́; tantus autor accendat facem.
Mollitie eneruі nè colla obnoxia tendas,
Blandumq́; virus occupet ſenſus, caue.
Aut ſi quid tacitum venis inſiderit imis,
Excinde putrem, pars ſequatur nè integra.
Quos penès eſt Vrbis ſanctiſsima cura vetuſtæ,
Gnaui ſtudere publicæ Patres rei,
Momenta, & rerum certiſsima pondera, peſtem
Arcete tantam ciuibus veſtris procùl.
Nec praui docilem cohiberi poſſe Iuuentam

Fræ-

Fræno extimate mitiore paululò.
Vtilius nihil esse, arctis quam legibus intrà
Modestiæ fines rebellem flectere
Duritiam pubis, dicto censete seuero.
Sic mactet vrbem vosque honoribus Deus.



PARS SEPTIMA, & vltima.

Ad Præceptores.

TITVLVS I.

Pueros castigandos.

Rogerius.

Curua haud difficili labore planta
Fit recta, ast vbi in arborem prœaltam
Illa euaserit, hoc licet labores,
Haud quaquam facies, aquamq; cædes.
Sic nascens vitium, parumq; cordi
Infixum pueri, nisi reuellis,
Postquam firmiùs intimis medullis
Annexum hæserit, hoc labore summo
Nunquam perficies, malumq; testa
Seruabit nimium tenax odorem
Imbuta, haud benè corrigenda limpha.

Erasmus.

Pharmaca nascenti sunt adhibenda malo.

Posthius.

Vt nisi principio tollatur morbus, in horas
Crescit, & infernos ducit ad vsq; lacus.
Sic mala, nî primum vitijs leuioribus obstes,
Augescunt, furtìm perniciemq; ferunt.

* * *

Pœna malos hominum mores inflicta coërcet,
Quosq; nequit virtus flectere, pœna domat.

Apelius.

Luxuriare nouis quandò solet vua racemis,
Fagus & elatas explicat alta comas:
Est opus vt valida compescat falce colonus
Ramos in nulla se regi ab arte putent.
Sic etiam effreni nisi sint sua fræna Iuuentæ,
Maxima vesani damna furoris alit.
Nec tamen indomitos animos, mentesq; feroces
Quilibet egregia dexteritate regit.
Tradere doctrinæ nam quæ via ducit ad artem,
Crede mihi magni munera laudis habet.

Incerti.

Currere cogit equum sub milite calcar acutum:
Sic faciet pueros aspera virga bonos.

* * *

Nî castigetur petulans, mox durus habetur,
Verberibus tactus probus est virgaq; coactus.

TITVLVS
II.
Formandos, instituendos, erudiendos.

Andrelinus.

Forman-di. *Vt liquida in varias formatur cera figuras,*
Sic capiunt quemuis membra tenella modũ.

Hospitalius.

Regendi
Sunt hominũ mores, Natura nec vllius vnquã
Tam præclara fuit, tam puro facta metallo,
Quæ (nisi sustineas) non pondere pressa feratur
Ipsa suo, magnamq; oculis det sæpè ruinam.

Hortensius.

Trade, cui ingenium felix, studijq; coacti (uè
Haud quaquam, ingeniumq; tenax, ceræuè luto-
Adsimile, vt capiat quãcũq; impresseris artẽ.
Principiò nullus desit labor, indè disertum
Vel Cicerone magis scitus præceptor ad vnguẽ
Formabit, mollis iuuet vt Natura docentem.

Arti-

Posthius.

Artibus assuescant pueri nisi mollibus annis, Instituendi.
Illis perpetuò vita manebit iners.
Culpa sed ad segnes meritò redit illa magistros,
Instituunt Pueros qui malè sæpè suos.

Euangelista.

Non vna est ratio, non vna est forma docendi.
Indiget hic fræno tantum, calcaribus ille:
Est alter facilis, durus monitoribus alter:
Demittit metus hos magnus, qui continet illos:
Hic vult laudari liber, vult ille reprendi.
Imperium est graue non paucis; cupit ille doceri
Molliùs, hic grauiùs: natura atq; impetus illum
Promouet, hic studio melior, curaq; tenaci.
Et quamuis rigido sit virga tributa magistro,
Chrisippusq; grauis, longusq; admiserit vsus
Cædere discentes: mihi non tamen ille probatur
Mos, viro indignus docto & sapiente magistro.
Imprimis quoniam non sunt seruilitèr Artes
Tradendæ ingenuæ; tū quod vel sordidus ille est,
Quem formas, animo vel liber & altus honesto.
Si sordens fuerit, duratus temnere plagas, (tus
Nil benè cæsus erit melior, quā barbarus emp-
Vel de Cappadoca seruus, mediaq; catasta.
Indole sin fuerit recta, & virtutis amica,
Nil opus est virgis: animus nam nobilis ægrè
Fert, si cogatur facere id, quod fortè libentèr

Fecis-

Fecisset, blando monitus sermone magistri.

Alanus.

De nuce fit corylus, de glande fit ardua quercus,
De paruo puero sæpè peritus homo.

Rogetius.

Erudiendi. *Angusto vt ore vasculum*
Nimium liquorem respuit
Iniectum, at illum leniter
Sensimq́; fusum turgida
Admittit aluo: sic puer,
Si Doctor ingerat sacræ
Sensim Mineruæ munera,
Memori recondet pectore
Audita: sed desit modus,
Tradatq́; inanem copiam,
Committet hanc ventis puer,
Frugisq́; seruabit nihil.

Euangelista.

Vasa ore angusto paulatim implentur, at vndã
Si super infundas multam, magnamq́;, videbis
Vndiq́; diffluere humorem, lymphisq́; carere
Inuersi inspersis arentia viscera gutti.
Sic animos Pueri fuerint si tempore cuncta
Tradita quæq; suo, docilisq́; memorq́; per omnes
Artes ducetur nullo discrimine tutus.

Quis-

Quiſq; ſuo modulo doctus, non ſegnis, inerſq́;,
Aut erit, aut oneri preſſus ſuccumbet iniquo.
Quod ſi non eſſet diſcendis commoda rebus,
Et verbis mens illa tenax, ætaſq́; fidelis,
Non peteret doctos puerilis turba magiſtros.

Lampridius.

Vis patrum eſt pueris inſita, ſed niſi
Præcepta & monitus ritè colant boni,
Spem mentita obeunt ſemina, nec dabit
Fruges ingenium ferox.



TITVLVS III.

Præcepta præceptoribus obſeruanda.

Sambucus.

Admonitus verbis Iuuenis ſi ſpernat habenas,
Verberibus vitium corriget ille minùs.
Vtq́; ferox patitur calcaria ſæpè moleſtus
Subdita equus, certum non ſubiturus iter.

Sic

Sic Puer emendet si non peccata loquelis,
Spes poterit frugis nulla subesse bonæ.
Qui fugiunt morbos, facilis medicina paratur,
Dumq́ subest fructus, flos foliumq́ notant.

* * *

Quid doctrina potest nisi publica scripta super-
Gesta Ducum reticet si bona posteritas? (sint?
Aurum dum latitat nil venis atq́ cauernis
Profuerit, fuluæ nî effodiantur opes.
Sic virtus celata parum commendat honores,
Nec magis, ac mersa tecta lucerna micat.
Ingenio præstans, raris virtutibus auctus
Proferat in lucem pignora, clarus erit.

Hortensius.

Ingenium veluti esse lutũ, ceramq́ tenacẽ (ret.
Credere par, nam si quid formæ impresseris hæ-

Billius.

Pectoribus duris, dura est Doctrina salutis,
Et patris ætherei quicquid ab ore fluit.
Ignauis durus labor est, vigilare molestum
His, quibus est altè dulce sopore frui.
Verba humiles animos reddentia dura, superbi,
Duraq́ lasciui verba pudica putant. (tur
Deniq́ quicquid id est quod, Christi lege iube-
Ætnæum inuitis esse videtur onus.

Mul-

Euangelista
Multos nè possint premit Ignorantia, multos
Qui possent, turpis deterret Inertia, sicq́;
Aut nemo, aut pauci rectè docuere magistri.

* * *

Vt generosus equus virgæ compellitur vmbra
Ad cursum, & nullis regitur calcaribus armos
Perfossus: præda vt velox, acerq́; Molossus
Euolat inspecta, nec Venatoris acerba
Hortantis monita, aut voces exspectat amaras.
Sic Puer ingenuus non plagis ducitur, atq́;
Verberibus cæsus, studia vt præclara sequatur:
Sed rectas artes vltrò complectitur, atq́;
Egregias rerum Doctrinas sponte capessit:
Ignauus contra Iuuenis, cui tardus, hebesq́;
Est animus, qui nil magnum, nil cogitat altum,
Sed somno oppressus stertit, languetq́; veterno
Vsq; graui deses: non ille hortatibus vllis,
Non dictis, non verberibus, plagisq; mouetur,
Nil prodest illi Doctoris sedula cura,
Nil præcepta iuuant, segnis languetq;, iacetq;.
Vt lapis in summo qui exciditur Appennino,
Nulla sic cura, nulla sic arte poliri
Cernitur, vt læuis pura polluceat æthra:
Sic Puer ingenio tardus, crassusq́;, magistri
Non cura ingenti, non sedulitate iuuatur,
Sic vt sit Sapiens, doctusq́; futurus, & acer.
Qualis ager sterilis nō cultu aut stercore fūdit

Fæ-

Fœcundas segetes, & spicis horrea complet,
Sed raros calamos nullo cũ fœnore reddit
Tale hebes ingeniũ, exiguũ est quod ab arte ma- *(gistra*
Accipit, exigua vtilitas & parua voluptas.
Exspectat stimulos sempèr, calcaria sempèr.
Naturam talem nactus: non ardor amoris
Illum ad præstantes ingens exuscitat artes
Quo nisi corripitur Iuuenis, labor õnis inanis,
Omnis sedulitas vana est, & cura docentis.

Chytræus.

Cum puero indomito das nũmos, frænaq́; laxas,
Hæc benefacta miser magna vocare soles:
Nequicquã: benefacta etenim quo iure vocaris?
Acceptor quorum tam malus efficitur?

Rudingerus.

Quæ prodesse foris possunt si publica fiunt,
Illa domi minimè sola latere decet.
Nil prodest fuluum terra quod cõditur aurum,
Indica nil vasto gemma sepulta mari.
Nil fontana latens sub opacis lympha cauernis:
Quælibet est vsu res speciosa suo.
Sic quæ priuatis se Musa penatibus abdit,
Vberiore sui fertilitate caret.

Dactius.

Natus homo est homini, malè grati pectoris ille
Ingenij

Ingenij quisquis condit auarus opes.

* * *

Turpitèr argenti celat si pondera, & auri,
Turpiùs ingenij condit auarus opes.

Borbonius.

Sæpè in neglectis reperitur gemma lapillis,
Sæpè cadus vilis nobile nectar habet.

Iouianus.

Fert filicem desertus ager, malè cultus & hortus:
Non filicē benè aratus ager, non cultior hortus.

Musius.

Quisquis quicquid allubescit,
Et quod animo dulcessit,
Hoc tractat lubentiùs:
Et quod Vati dat Minerua,
Non inuita nec proterua,
Hoc præstat fœliciùs.

Posthius.

Quam citò non refert, sed quam recta oĩa fiant:
Quam citò non cures: quam benefacta notes.

* * *

Seù bona, seù mala sit natura, bonosuè malosuè
Ingenij mores occuluisse nequit.

Sambucus.

In medico non est semper sanetur vt æger,

Formaq́ naturam suscipientis habet,
Thersites nunquam in varium mutatur Vlysse,
Margites nec adit fortis Achillis opus.
Psittacus est docilis, bos lentus, pegasus acer:
Quolibet è trunco fac mihi Mercurium.

* * *

Tā rude & incultum nihil est, Industria possit
Naturæ vitium quin polijsse labor:
Inuentam casu cochleam, temereq́ iacentem
Instruxit neruis nuncius ille Deûm.
Informē citharam excoluit: nunc gaudia mille,
Et reddit dulces pectine mota sonos.
Cur igitur quereris, Naturam & fingis ineptā?
Nonnè tibi ratio est? muta loquuntur, abi.
Ritè fit è concha testudo, seruit vtrinq́:
In Venerem hæc digitos, sæpiùs illa gulæ.

* * *

Quis Sapiens dici poterit, si sensa voluntas
Exprimere, & docta nesciat arte loqui?
Dat sine mente sonum, vacuo qui pectore verba
Fundit, & ingenium quod caret eloquio.
Nec minùs exiguam studium sine diuite vena
Fert laudem, rude nam quid tulit ingenium?
Hæc tu præclarè iungens mirabitur omnis
Schola tuum ingeniū, & te super astra vehet.

Lauterbachius.

Nō opus est melius quam recta docere Iuuentā,
Impe-

Imperij, rectè culta Iuuenta, solus,
Desperanda salus spernentis recta monentis,
Disciplina trahit spreta perenne malum.

* * *

Tanta est ætherei bonitas & gratia patris:
Spes vbi nulla subest ille repentè iuuat.

Schellenbergius.

Qui valet ingenio, discendiq; ardet amore,
Ille suo verè tempore doctus erit.
Qui docet obtusum, & segnē, sinè fruge laborat
In pertusa vt qui dolia fundit aquam.

* * *

Ardua cura scholæ, grauis est cultura Iuuentæ,
Maximus est animos erudijsse labor:
Ære labor nullo, nullo pensandus & auro,
Tædia plura capit, præmia pauca refert.

Nerdenus.

Immēsus labor est, magnū est onus, ĩproba cura,
Informare alios, certa aut constringere mentes
Lege vagas, premere ĩperio, & cohibere lupatis.

Alanus.

Mille viris præbere potest pincerna Lyæum,
Pocula doctrinæ pluribus vnus homo.

* * *

Cura vigil benè curat agros: incuria quippè
Red-

Reddit eos steriles: vnde Poeta refert.
Neglectis vrenda filix innascitur agris,
Per filicem vitium denotat hic pueri.

* * *

Artes per partes veteres didicêre Poetæ,
Idcirco magnum promeruêre decus:
Primo dictantes, & postea versificantes,
Candentes ferulis supposuêre manus.
Partibus imbutos Sapientia duxit Athenas
Quadriuium triuio continuando sibi.

Incerti.

Non minus hic peccat qui censum condit in agro
Quam qui doctrinam claudit in ore suam.

* * *

Exemplum detis, alios quicunq; docetis,
Si non seruatis quæ præcipitis, taceatis.

* * *

Frangas indomitos, mansuetos dilige, stultos
Argue, deuotos dirige, carpe vagos.

* *

Infelix qui multa sapit, nescit q; docere;
Infelix qui multa capit, spernit q; doceri.

* * *

Qui nimis emungit solet extorquere cruorem,
Et violenta facit correctio deteriorem.

* * *

Sæpe nocet qui multa docet, quia vix capiētur:
Cōcoquitur quicquid capitur, dū pauca docētur.

* * *

Dis-

Discere si quæris doceas, sic & ipse doceris;
Et studio tali tibi proderis atq; sodali.

TITVLVS IV.

Parænesis, De vita rectè instituenda, & de liberali Puerorum educatione.

Amerbachius.

Furtiuam vita Venerem, tædasq́; procaces.
Mitte dolos, seruaq́; manus à sanguine puras.
Nè malè ditescas, de iustè viue paratis.
Sis contentus eo quod adest, aliena nec aufer.
Et verum loquitor nunquam mendacia dicas.
Principiò venerare Deum, cole deindè parētes.
Fac iustè cunctis, ne te fauor abstrahat vllus.
Nè spernas inopem, aut personæ deditus esto.
Iudicio si quem falles, Deus ipse rependet.
Sis testis verax, & nè non iusta loquaris.
Sis castus, rebusq; fidem seruato gerendis.
Vtere mensuris, ornat modus omnia, iustis.
Libram nè pulses, æqualem sed trahe semper.

Admonitorium Phocylidis poema, de vita rectè instituenda.

Nè Iusiurandum viola nolensuè, volensuè:
Nam Deus æternus periurum quemlibet odit.
Nè sata fureris, res execrabilis hæc est.
Mercedem soluas, inopem nè supprime quenquã.
Linguam contineas: arcanum in pectore cela,
Nec fac iniustè, nec non facientibus obsta.
Des inopi citò, nec redeat cràs ille iubeto.
Plenâ dona manu, præbens miseretor egeni.
Errantem excipias, cæco Dux esto viarum.
Naufragûm miserere, via est incerta per undas.
Incautum serua, lapsuro porrige dextram.
Communes casus, rota vita est, diuitiæq́.
Si tibi opes fuerint, his auxilieris egeno:
Pauperibus des indè, Deus tibi quæ dedit olim.
Publica sint vitæ iura, & concordia cuncta.
Nè cædis gladium, sed caussa sume salutis:
Hoc non indigeas, vtinam per fasuè, nefasuè.
Namq́ manum maculas, inimici sanguine fuso.
Vicinos agros mittas, nè limina transi.
Optima res modus est, rerũ transgressio praua.
Nullius fructum crescentem læseris arui.
Sint in honore pares peregrini ciuibus ipsis.
Nam vaga paupertas omnes cum tempore tẽtat
In terraq́ manent homines non semper eadem.
Mater auaritia est cunctorum & causa malorũ.
Decipit Argentum mortales semper, & aurum:
Aurum pernicies rerũ, mala cuncta gubernans.
O vtinam nulli studio mortalibus esses!

Nam

Nam pugnæ, & cædes propter te, suntq́; rapinæ,
Fratribus inuisi fratres, natisq́; parentes.
Pectore nè claudas aliudq́;, aliudq́; loquaris:
Neuè, vt per petras polypus, muteris vbiq́;
Iniustè quicunq́; volens facit, is malus est vir:
Qui nolens, aliter. Cuiusq́; expendito sensum.
Nec vires, nec opes, nec te Sapientia tollat:
Vnus enim Sapiens Deus est, Diuesq́; potensq́;.
Nè cruciare malis animum, quæ præterierunt:
Nam factum nequit infectum nunc ãpliùs esse.
Nulli vim facias, iram compesce ferocem:
Nam cædem nolens post crebros feceris ictus.
Communes sint affectus, prægrandia vita.
Quod superat mediocre, bonum nõ vtile nobis.
Ad turpes creber perducit luxus Amores:
Fastus opes sequitur, sequitur petulãtia magnas.
Pestiferum vehemẽs animus facit ipse furorẽ.
Ira cupit tantum, metam vehementia transit.
Est mala prauorum, est imitatio recta bonorũ.
In prauis nocet, in rectis audacia prodest.
Virtutis grauis est amor, & mala Cypridos au-
Est iter ciues prudẽs vir magna voluptas. (get:
In potuq́;, ciboq́; modum, seruaq́; loquendo.
Optimus in rebus modus est, transgressio praua.
Et Momus caueas sociorum, atq́; inuidus esse.
Inuidia careant quod cæli numina, florent.
Non Phœbo melius lumen soror inuidet ipsi,
Corporibus non terra locum cælestibus altum,

Non amnes pelagis, ſed agunt cōcordia ſempèr.
Non ſtaret cælum, ſcirent ſi iurgia Diui.
Turpia nè facias, exerce facta modeſti.
Neuè imitêre malum, ſed iure iniuſta repellas:
Nam benè Suada iuuat, litem lis altera gignit.
Credere non debes, quàm finem videris, antè.
Qui faciunt, illos pulchrũ eſt ſuperare, benignè,
Pulchriùs in tenui menſa citè paſcitur hoſpes,
Quam lauta, ſed ſuſpecta, nimiumq́ morante.
Ergà inopem nunquam fias in fœnore acerbus.
E nido volucres nè quis detraxerit omnes,
Pro pullis iterum matrē ſed linque fruendis.
Iudicia indoctis nunquam permittere debes.
Ars docto regitur, regitur Sapientia docto.
Nè rudis accedas doctrinæ limina magnæ,
Talem non capiunt alÿs non antè parati.
Aſſentatores, cultores defuge menſæ:
Multi ſunt etenim ſocÿ potuſq́, cibiq́,
Tempus & obſeruant, dum ſit quo vēter alatur
Pauca ferunt ægrè, multis nequeunt ſaturari.
Nè credas vulgo, varium & mutabile vulgus.
Non vulgus, nō vnda etiam cohibetur, & ignis.
Iuxtà ignem fruſtrà cor nè cruciere ſedendo:
Proq́ modo fac ſacra Deis. modus optima res eſt.
Impartitor humum nondum poſt fata ſepulti.
Nè iuſtorum aperi tumulos, ſoliq́ tegenda
Nè monſtres, & commoueas tibi Numinis iram.
Harmoniam nō eſt hominis diſſoluere pulchrũ,

Et

Et citò speramus de terra in lumen ituros.
Relliquiæ vitâ functorum numina fiunt:
Nam remanent animæ post mortē labe carētes.
Spiritus est & imago Dei, & mortalibus vsus.
Sumpsimus è terra corpus, puluisq́; soluti
Cuncta sumus, cælo est sed spiritus inde receptus.
Nè parcas opibus, mortalem te esse memento:
Diuitias nemo secum portabit ad Orcum.
Mors æquat cunctos, animas Deus ipse gubernat.
Communis Patria est æterni regia Ditis.
Hùc Reges veniunt omnes, hùc vulgus egenum.
Nostra breuis vita est, & certā durat in horā.
Mors animam tollit nunquam, lædituè senecta.
Nè dolor in duris, in lætis gaudia turbent.
Sæpè etiam in vita firmis non fidere fas est.
Temporibus serui, nè flatumq́; obÿce ventis.
Emergitq; malum subitò, cessatq; solutum.
Nè reddas tragico mentem sermone furentem.
Quæ cunctis multum, lenis sit dictio prodest.
Arma viro sermo est, plus quàm penetrātia, fer
Arma dedit sua cuiq; Deus: pernicibus alis (rū.
Per cælum tranant volucres, roburq; Leones,
Cornua taurus habet, natiuum spicula gestant
Robur apes, homini sunt propugnacula sermo:
Quem diuina parit, sermo, Sapientia, regnat.
Natura Sapiens robusto iudice præstat.
Agros ac vrbes regit, & Sapientia nauem.
Non debet tutus clam vir malefactor haberi,

Sed

Sed malè quiſquis agit, procul amoueatur opor-
Sæpe boni prauis miſti moriuntur, vt illi. (tet.
Depoſitum, quod ſubtractũ eſt, nè ſuſcipe furto:
Accipiens furti, & faciens, dãnãdus vterq́; eſt.
Cuiq́; ſuum tribuas: excellit in omnibus æquum.
Cuncta time incipiens, metã nè tranſgrediaris.
Nè tractes hominis victum, iumenta, furentèr.
Iumentum prolapſum inimici fortè leuato.
Nè fugias hominem errantem terraue, mariue.
Nanciſci longè, quam inimicum, præſtat amicũ.
Incipiens abſcinde malum, medicator & vlcus.
Nè quem carne cibes putrida: velocibus illam
Sed linquas canibus, fera veſcaturq́; ferina.
Nulla venena pares, magicos & defuge libros.
Infantem nè tange manum violentius æquo.
Et rixas belli fugitato, diſsidiumq́;.
Nè benefac prauo: ſic dantur ſemina ponto.
De proprio vt viuas duros tractato labores:
Namq́; piger manibus vitam ſuſtentat iniquis.
De cœna alterius menſæ nè comede ſordes:
Sed te paſce tuis, ignominiaq́; carebis.
Artem qui didicit non vllam, fodiat ille.
Quod facias, non deſit opus, ſudare volenti.
Si tractare voles remos, eſt æquor apertum:
Si terræ cultura placet, ſunt grandia rura.
Nil geritur benè, ſi deſit ſudorq́; laborq́;,
Non ipſiſq́; Deis: Virtus ſudore iuuatur.
Deſertis antris victus telluris egentes

Foo-

Formicæ vadunt, redeuntq; per inuia quandò
Deſectæ campis complent nunc horrea fruges:
Hordea conuectant, tritici vel grana labore
Aſsiduo, ſequiturq; ferens ſua dona ferentem,
Inq; hyemē victum proprium de meſſe reponunt
Impigrum, paruumq́; genus, multiq́; laboris.
Tractat apis ſtudioſa ſuum, prudenſq́; laborem,
Siue cauæ petræ per ſpecum, in arundinibuſue,
Aut in ventre caui iucundo roboris antro,
Floribus efficiens beneolentia cerea tecta.
Nè maneas cœlebs, pereas nè inglorius olim.

Baudius.

Narro tibi, Grutere mi, nimis iaces: De liberali puerorum educatione.
Nimìs iaces, æquumq́; præter ac bonum
Sortem ſinè omni gratia culpas tuam.
Ten' arbitrari vitæ munus aut leue
Tenella corda ductilis puertiæ
Doctas per artes flectere ad recti decus?
Feroſq́; mores cicurare & horridos,
Dum mollis ætas indoleſq́; mobilis
Clemente tractu qualibet duci poteſt?
Si veritate ponderamus ſimplici
Momenta rerum, non inani ſplendido,
Spartam tueris neutiquam paruæ rei.
Sed dignitatem non habere quis tibi
Perſuaſit auctor? nempè praui perſequens
Vulgus, ſiniſter moris interpres boni.

Sartor, ſatorq́ue nequiorum partium.
Rem ſi videbis nube pulſa inanium,
Seorſim ab iſto mox loquare ac ſentias
Vitij patrono. nonnè & vſu commodum,
Et fama honeſtum, & dignitate amplũ putas,
Quod ſpes parentum, flos iuuentæ, ciuium
Nouella proles, patriæ naſcens honor,
Seges nepotum creditur curæ tuæ?
Hoc ciuitatum ſtat ſtatus fundamine,
Ex hoc adulta ſeminario virûm
Surgit propago, qui ſcientia graues
Olim capeſſant publicæ ſummam rei.
Sed vt ſuperba turrium faſtigia
Miratur omnis, at latent fundamina,
Tegitq́ue tellus ima radicum, quibus
Innixa ſubſtat arborum proceritas:
Sic iſtud omne vi recondita magìs
Seſe tuetur, quam nitore euanido.
Quid liberalis præſtet educatio,
Rectiq́ue cultus, monſtrat exempla canum
Sagax Lycurgus: nec fefellit id viros
Qui iura primi condidêre ciuibus.
Ipſe ille Princeps omnium prudentium
Totius inſtar eſſe prædicat boni
Probè educari, non enim legum minæ,
Longiq́ue vinclum debile offici, timor,
Vim contumacem mentis humanæ domant:
Quantum efficace diſciplina induſtriùs

Mor-

Morum Architectus, & bonæ mentis faber,
Prauiq; rector à tenellis vnguibus,
Natura duci postulat se, non trahi,
Suaderi amica pace, non cogi malo.
Tollas pericla, flagitî repagulum,
Da spem latendi, fac licendi copiam
Malè institutis: ilicèt cupidinum
Profundus ardor obice effracto ruet
Nefas per omne redditur iuri suo.
Tam magna laus est optumis assuescere
Primore ab æuo: lenis antè corrigi
Mox prauitate post inemendabili
Durescit arbos: sic ager puertiæ,
Cum cura desit, asperos mores genit
Nullis deindè cultibus domabiles.
Incontinentis vt iuuentæ nomina
Luit senectus fænerato, sic viros
Culpæ sequuntur non sinè infami nota,
Quas non recîdit in rudi puertia
Supinus informator, atq; parum sagax.
Non peior vlla, sæniorq; calamitas
Afflixit huius faustitatem sæculi,
Quam quod coli nescitur, aut contemnitur
Ver illud æui, quo nihil præsentiùs
Capaciùsq; disciplinas imbibit.
Hæc tum magistri culpa, tum Parentium.
Ille insciens plerunq;, nec vita probus
Vltrò docentis arrogat partes sibi

Docendus ipse, digna res pœnis premi:
Scœnoq́ olente peiùs aut atra pice
Rudem tabellam collinit stirpis nouæ,
Nec aptiorem cura quærere est virum,
Sed vt quis operam viliori destinat
Mox perfrequente cingitur iuuenum choro.
Damnum fit ingens spe breuis compendij,
Peritq́ patri filius, siquidem perit
Quem spes relinquunt vt bonæ frugis siet.
Quod si sciens magister & vita probus,
Tamen seuera lege liberos regi
Vetat Parentum mollis indulgentia,
Labes luesq́ grauitatis insitæ.
Mox ijdem acerbo præcoces cupidine
Gradu labores ire non sinunt suo,
Verumq́ censent illico nasci sophos:
Ætatulamq́ vix potentem adhuc sui
Trudunt ad alta dignitatum munia
Seù sumptuum timore, seù turpi ambitu.
Hæc pestilens vredo tabis in modum
Nascente in herba spes bonas intercipit,
Interficitq́ publico grandi malo.
Vides, opinor, disciplina quid potest
Partes in ambas, aut honoris, aut probri,
Nec esse quod te tædeat tui status.
Hac floruerunt arte summates viri,
Flos corculorum, Socrates, Isocrates,
Plato, & Platone maior ille maximi

Regis Magister, quem triumphat gaudio
Philippus incidisse in ætatem suam,
Vt esset vndè Heroica dignas domo
Partes & artes filius condisceret.
Nè singulos ad testimonium citem
Rex vnus esse ad instar omnium potest,
Quem liberales cum doceret literas
Exterminatus regno & exutus bonis,
Feliciorem voce clara prædicat
Immanè vulgo dissidens virtus rudi,
Quam cum beatus, vt videbatur sibi,
Magnæ imperabat impotentèr Insulæ.
Sed iusta forsàn vrit indignatio
Pectus, Iuuentæ quod magistros ac duces
Nec laus honestat, digna nec merces beat.
Hoc sequiori crimen omne sæculo
Non rebus ipsis imputandum, nec tuo
Peculiaris hæc querela muneri,
Sed vniuerso literatorum choro,
Quos continentèr vrget indignis modis
Menti bonæ fatale paupertas onus.
Adprimè verò cum Poëticâ tribu
Iniuriosis experitur moribus.
Dilaudat omnis hanc Senator, Plebs, Eques,
Parua in taberna grande pangentem melos:
Sed quis mihi audet equitis Hetrusci decus
Nomenq; muni vindicare dextera?
Ceù cum vir haud iniustus elauit bonis

Mari, ruina, incendio aut maiore vi
Ad incitas redactus, omnes condolent
Nemo iuuare sustinet cassa nuce.
Morosus hic morusq; mos hodiè valet,
Pleno ore vates quilibet probat probos,
At liberalem porrigit nemo manum.
Non est quod ergò legem eandem ceteris
Consors recuses, propriamue postules.
Fastidiosum sed genus mortalium
More hoc laborat, siuè morbo veriùs,
Vt perpetìm cum sorte litiget sua.
Miles labore membra confectus graui
Clamat beatum, qui procùl periculis
Æuum latentèr transigit silentio.
Contrà secutor ille fallentis viæ
Suimet osor militarem gloriam
Magis præoptat blandiente inertia;
Mercator alto deprehensus in mari
Cum magna surgunt æquora, & vi turbinum
Inhorret vnda, deierat Plutum patrem,
Diris nefandam deuouens auri famem,
Nil expetendum rustica vita priùs,
Quæ nunquam auaro credit ætatem marì,
Mediocritatis acquiescens legibus,
Suoq; læta: porrò quid iam rusticus?
Quid ille? nè non & suas partes agat,
Quouis periclo depaciscitur miser,
Tages repentè existere terra aureus

Vn-

Vendundo, emundo, nescius quantum mali
Molestiæq; apportet hoc splendens lutum.
Sed tentat hominem ceteris mortalibus
Innata sortis pænitudo propriæ:
Quam te cauere publicam febrem volo,
Grutere, curis fomitem perennibus,
Fastidijsq;, donicùm cor occupat.
Scitum illud alta mente rumines memor:
Nullum euenire proprium cuiquam bonum
In vita agunda, nec carens malo, quod aut
Expertus horret, aut inexpertus cupit.
Sed commodis incommodas res leniunt
Qui temperatam pectoris mentem gerunt:
Contrà inscientes, moribusq; tetricis
Per insitam morositatem, præter has
Quas ipsa rerum sors habet molestias
Addunt: nec æqua mente, quas habet, ferunt.

CENTONIS ETHICI
FINIS.

DAMASI BLYENBVRGY
In Centonem Ethicum Index, siuè conlectanea in quibus sententiæ elegantiores commemorantur, & vocabula obscuriora sæpè explicantur.

CANDIDÆ IVVENTVTI.

Vituperabis meritò rei tam necessariæ tantam incuriam, dum alicubi in numero paginarum distribuẽdo (quod accidit Typographi nostri crassissima negligẽtia) errorem animaduertes. Ne verò crebrior ille nauseam moueret, monere te volui incidisse hunc præcipuè in quatern: V. a pag: 304. Vsq; ad 320: & nèvicissim errares indicem meum iuxtà erraticũ hunc numerum direxi: post ea solito more per numerum primum: pag. & secundum: vers: notaui, ac sedulò obseruaui nè partium aut capitum CENTONIS nostri titulos repeterem. Porrò per Asterismum (*) similitudines sententijs accommodatæ significantur: & per signum interrogationis (?) verba vel nomina quæ scire cupis explicantur, aut apta definitione interpretãtur. Boni itaq; consule laborem nostrum, quem si acceptum fuisse acceperim, offeram tandem non ampliorem quendam Neotericorum poematijs refertum Cẽtonẽ, sed Sententiarum, õnium tam veterum quam recentiorum Poetarum qui per me poterunt reperiri, abscõditum quendam Thesaurum. His paucis vale, & studijs diligentèr incumbe.

Affa-

INDEX.

Cor-

Ionco-

Lapitꝰ

M

INDICIS FINIS.

Probat exitus acta.



BR

C

fen


nis,


D

Excu

tæ A

Ego sum possessor hu





Miscellanea
Scholastica

S.
Schol: Lat.
N.o 16.